





1792.

1. \* Beckmannus, Johannes Siegfriedus: Responsa juris  
II, VII, VIII. Programma, quo ordinarius senior et  
reliqui assessores memoriam Johannis Siegfriedi Beck-  
manni recolendam indicunt.
2. \* Wendlerus, Augustus Adolphus: Responsa juris X, XI  
et XII. Programma, quo ordinarius senior et reliqui  
assessores fac. jur. solennia doctoralia Augusti  
Adolphi Wendleri indicunt.
3. Baumannus, Trachimus Mauricius Gulielmus: Vires Gordia-  
nus sine de vita et constitutionibus M. Antonii Ter-  
tiani III. Imperatoris
4. Fleck, Ferdinandus Gottlieb: De tollenda jactura  
et obligationum confusione per hereditatis  
aitionem exorta
5. Green, Aug. Tiber. Sigismundus, fac. jur. proconcella-  
rius: De transmissione hereditatis delatae non  
aditae. Programma, quo solennia doctoralia Joannis  
Tiberii Hermannii indicunt.

1792.

6. Hermannus, Christianus Gottfried, fac. jur. procurator. 12  
Larvas: Quatenus vidua, ex statuto locum in  
electoratu saxonico succedens marito, ad collaborationem  
bonorum sit obstricta? Programma, quo sollemnia  
in auctoritate theodori Mauriti Gustelini Bau-  
milleri indierit. 13.
7. Hermann, Joannes Fridericus: De mortis causa  
amatonum conjecturis ex mortis mentione ca-  
piendis. 14.
8. Kindius, Anton Christianopleurus: De justitia iurandi  
marum Lipsiensium 16.
9. Knoetzscher, Joannes Christianus: Aulus pontificum  
Romanorum vicariatum S. R. imperii tibi arrogandi 16.
10. Knoetzscherus, Joannes Christianus: Origines  
vicariatus S. R. imperii ex vicariis Francorum et  
Saxonum principatu deductae.
11. Knoetzscherus, Joannes Christianus: Historia vicia-  
riatus S. R. imperii inde a magno sic dicitur inter-  
regno usque ad hunc bullam juris Germanici prolatam. 17.

1792.

12. Leonhardi, Fridericus Gualter: *De legibus agriculturalibus  
causa in Borussia Electoralitatis . . . Programma,  
quo ad orationem auspicialem iuritat.*
13. Ludvig, Christianus Fridericus: *De cavationi in flu-  
mine salubritate.*
14. Platnerus, Ernestus: *Vindictiarum sententiarum  
probabilium per systematis condendi festinationem  
de physiologia rejectarum. p. III. parenchyma.*
15. Ruediger, Christianus Fridericus: *(De effecta repae-  
tionis in ortum et occasum stellarum com-  
putando.) Programma, quo ad orationem auspi-  
calem iuritat.*
16. Lickeluis, Francus Conradus: *Ptolemaeus et  
Maximianus sive de vita et contributionibus  
C. Aurelii Valerii Ptolemaei et M. Aurelii Val-  
erii Maximiani.*
17. Neckmannus, Augustus Cornelius: *Papiri Testi,  
Testi Romani fragmenta . . .*

1792.

18. Wandlerus, Augustus <sup>Josephus</sup> : De testamenti  
fatione mal'is us.



107

107





8574

1792, 9.

17

A V S V S  
PONTIFICVM ROMANORVM

VICARIATVM S. R. IMPERII SIBI ARROGANDI

EXERCITATIO IVRIS PVBLICI,

---

Q V A M

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS

A V C T O R I T A T E

P R O

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

C A P E S S E N D I S

DIE IX. FEBRVARII A C I D I O C C X C I I ,

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

IOANNES CHRISTIANVS KNOETZSCHKER

FRIBERGENSIS

IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREVS.

---

LIPSIÆ.

EX OFFICINA SOMMERIA.



1052

A V S V S  
PONTIFICVM ROMANORVM

VICARIATVS S. E. IMPERII SIII ARROGANDI

EXERCITATIO IURIS IURISCI

QVAE  
PLVRSVS IURISCONSULTORVM GRADVS

ACTORITATE

1760

SVMMI IN VTRIQVE IURE HONORIBVS

GAUSSIBVS

DIE 12. FEBRUARII A. MDCCCLXII

L. M. G.

IOHANNES CHRISTIANVS KNOETSCHKE

PROFESSOR IURIS IURISCI

LEIPZIG

IN VITAE PERPETVAM



V I R O

V I R O

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

FRIDERICO LVDOVICO  
W V R M B

DYNASTAE IN GROSSEN - FVRRÄ ETC.

SERENISSIMI DVCCIS ELECTORIS SAXONIAE IN SACRO  
CONSISTORIO COMITI DEPVATORVM AD RES OECO.

NOMICAS ET MERCATVRAE DIRECTORI ET ORDINIS  
IMPERIALIS S. JOSEPHI COMMENDATORIREL.



V I R O

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
ADOLPHO HENRICO  
S. R. I. COMITI DE SCHÖNBERG

DYNASTAE IN BERTHELSDORFF, NIEDER-OTTENDORFF,  
MVTZSCHEN ET CANNEWITZ ETC.

SERENISSIMI DVCS ELECTORIS IN SACRO CONSISTORIO  
COMITI REL.

V I R O

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
OTTONI FERDINANDO  
S. R. I. COMITI DE LÖBEN

DYNASTAE IN OBER-GERLACHSHEIM ETC.

SERENISSIMI DVCS ELECTORIS SAXONIAE IN SACRO  
CONSISTORIO COMITI REL.

17  
V I R O  
ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
FRIDERICO GOTTLOB  
DE BERLEPSCH

DYNASTAE IN HENNIGSLEBEN, LEISSLAU ETC.  
SERENISSIMI DVCIS ELECTORIS SAXONIAE IN SACRO  
CONSISTORIO COMITI REL.

V I R O  
ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
GEORGIO WILHELMO  
S.R.I. COMITI DE HOPFFGARTEN

DYNASTAE IN MVELVERSTEDT, MECHTERSTEDT  
ET BEVCHA ETC.  
SERENISSIMI DVCIS ELECTORIS SAXONIAE IN SACRO  
CONSISTORIO COMITI REL.

VIRIS  
OPTIMO PATRIAE PATRI CARIS  
ACADEMIARVM SAXONICARVM  
CVRATORIBVS SAPIENTISSIMIS  
FAVTORIBVS ATQVE PATRONIS  
INDVLGENTISSIMIS

HOC  
PIETATIS AC REVERENTIAE MONVMENTVM

D. D. D.  
IOANNES CHRISTIANVS KNOETZSCHKER,

## PROOEMIUM.

**Q**uamquam compertum et notum habemus, praeter  
alios et hunc fuisse conatum Pontificibus Roma-  
nis medii aevi temporibus, ut Vicariatum S. R. Imperii  
sibi arrogarent, utpote qua in re non contemnendum  
praesidium ipsis paratum putabant, dominatus totius ter-  
rarum orbis sibi comparandi et confirmandi, ne vllus  
tamen, quantum equidem scio, scriptor exstat, qui  
hocce argumentum data opera illustrare apud animum  
sibi proposuerit, etsi plures, qui eiusdem rei mentio-  
nem fecerunt, hic illic occurrunt. Quae cum ita esse  
deprehendissem, mihiq; rerum mearum ratio libellam  
edendum suasisset, huic rei me non ingrati et super-  
fluam operam daturum esse arbitratus sum. Ante vero,  
quam propositum nostrum exsequamur, de ipso tractandi  
modo,

modo, quem intuiti sumus, pauca monere visum est. Cum enim Pontifices causa destituti egisse, remque grauem et maximi operis temere sibi arrogasse cogitari nequeant, primum de eo exponendum fuit, quod iis ansam praebuerit Vicariatus sibi adripiendi; vnde eo delati sumus, vt, quam iuris speciem prae se tulerint, exponeremus; quibus anneximus ipsam rei historiam, quo melius innotescant eiusdem origines, progressus et finis, atque lectores paucis lineis descriptos habeant, qui singulorum Pontificum ad Vicariatum Imperii sibi comparandum fuerint ausus, quemque eorum viderint successum.





17

---

A V S V S  
PONTIFICVM ROMANORVM  
VICARIATVM S. R. IMPERII  
SIBI ARROGANDI.

---

CAPVT PRIMVM.

*De Causis, quae Pontificibus Romanis occasione praebuerunt, Vicariatum S. R. Imperii sibi arrogandi.*

**E**tti plures causae cogitari possunt, quae Pontifices instigarint, vt occasione data potentiam suam quocunq; modo adaugere, ideoque Vicariatum Imperii, propter quem se et auctoritate, et opibus auctum iri cernebant, omnibus viribus sibi comparare anniterentur; eae tamen ita in vulgus notae sunt, repetendae illae ab ignorantia seculi, dominandique cupiditate a Pontificibus non aliena, singulorumque et Imperatorum, et Pontificum meribus animoque, vt iis exponendis, nouisque addendis superfedere queam. Quapropter ei tantummodo causae enucleandae immorator, quae occasionalis audire solet: quam quidem inuenio palmariam, crebro dissentientibus Principibus electos plures Imperatores temporibus turbulentis Sec. XII. XIII. et XIII. vbi furor

A  
Gibel.

Gibellinorum et Guelforum Italiam inprimis pessime habuit. Saepius dubium haesit imperium, nesciens quem Imperatorem haberet, quem iusti iniustitiae iudicem. Hoc factum fuit Imperio praecipue ab ao. MCLXXXVII. vsque ad MCCVIII. Philippo Sueviae Duce et Ottone IV. Henrici Leonis filio, de imperio contendentibus. Tunc enim temporis Pontifex Innocentius III. Laicis permisit <sup>a)</sup>, ut iustitiae obtinendae gratia ad Sedem Apostolicam vel alium iudicem Clericum in causis secularibus recurrebant; Comitibus Palatinis Imperii, qui Imperatoris in sententiis dicendis locum obtinerent, diu ante emortuis atque deficientibus <sup>b)</sup>. Vnde successores Innocentii III. absurde, in Imperium Germanicum contumeliose, ad Pontificis autem potentiam augendam confirmandamque satis prudenter concluderunt, ipsis vacante Imperio, et omnino Rege electo nondum confirmato, ius competere administrandi Imperii <sup>c)</sup>. Qua re impulsus, quoad fieri poterat, Regem confirmare recusarunt, ut per id tempus, quod interregnum dicitabant, potentiam opesque specie Vicariatus eo magis augmentarent, defenderent atque confirmarent. Accedit, quod Gibellina factio, postquam Clemens V. Pontifex ex voto Philippi Galliarum regis, sedem suam Avinionem transtulerat, Pontificibus inimica, in Italia multo audacius, quam antea, caput extollebat, neque terras solas S. Petri invadebat et depopulabatur, verum etiam scriptis potestatem Pontificiam lacerabat <sup>d)</sup>. Qui quidem animus potissimum eo tempore, quo post Henrici VII. obitum pleraeque Italiae urbes, fama et opibus celebres, subita animorum inclinatione sibi dominos constituerant, qui praefectura Augustali apud eandem antea functi

a) Cap. IO. X. de foro comper. cf. etiam FRANZ DOMINICUS HAE-  
BERLIN in dem Pragnar. Auszuge  
der Allgemeinen Weltgeschichte (Halle  
1786. 8.) T. II. Period. VI. pag. 264.

b) MORATORI Antiquit. Ital.  
T. I. Dissert. VII. de Comitibus Palatii  
Regni Italiae. col. 383.

c) IOR. DAN. VON OLENSCHLA-

GER Neue Erläuterung der Goldenen  
Bulle Kayfers Carl des IV. (Frankf.  
und Leipzig 1766. 4.) §. XXXVII.  
p. 132 199. cf. FRANZ DOMIN. HAE-  
BERLIN c. l. p. 264.

d) IO. LAUR. MOSHEMII Insti-  
tut. Historiae Ecclesiasticae Antiq. et  
Recentioris (Helmst. MDCCLV. 4.)  
Saec. XIV. P. II. C. II. §. V. p. 369.

functi erant, Italiae incolae tenuit e). Sic Scaligeri Verona, Esteſes Ferrara, Correggii Parma, Caſtrucci Lucca, Bentiuogli Bologna, Manfredus Landa, et Faenza, Reinaldus Placentia, Bonacaffa Paſſerinus Mantua, Hugocio Facciolus Etruria potiti funt, qui omnes ſpecie tuendarum Gibellarum partium, re ipſa dominationem aucupati funt, commiſſa ſibi ab Imperatoribus gubernacula obſequii imagine vertentes in hereditatem f). Deinde auſus Pontificum in Imperio Romano-Germanico non parua ceperunt incrementa, Philippo Pulchro Francogalliae rege, coronam imperialem Carolo Valeſio fratri acquirere conante, quam ſpem iam Bonifacius VIII. fecerat; illi autem, qui Auenione federe inceperant Pontifices, reſiſtere non audebant g). Tandem et occurrentem forte putarunt auctoritati ipſorum in Italia labanti, cum leges et decreta ex Gallia in Italiam miſſa palam non a proceribus tantum, ſed et a populo ſpernerentur, atque multae adeo vrbes a Pontificibus deſicerent; qua de re ipſi ex Italia in factiones ſciſſa ac ſeditioſa, paucos aut nullos fere fructus et reditus ceperunt h).

Hiſ itaque inprimis contineri putem cauſam palmariam, propter quam experiri voluerunt Pontifices, an Sedi Apoſtolicæ Vicariatum Imperii poſſint acquirere, eoque, quam inhiabant, potentiae vti adminiculo.

## A 2

## CAPVT

e) IO. DAV. KOELERI *Schediaſma Hiſtoricum de Nummiſmæ Iacobi Grandis de Carraria Domini I. Parrauii* (Al. 1717. 4.) §. IV. p. 9.

f) SABELLICUS *Eunead. IX. Lib. VII. p. 595.* et NICOL. BVRGVND. in *Ludov. IV. Imp. p. 61.* cf. etiam PFEPFINGER *ad Virriar. p. 660.* nec non IO. DAV. KOELER *c. l. §. IV. p. 10. ſq.*

g) IOH. DAN. VON OLENSCHLA-

GER *Staatsgeſchichte des Römifchen Kaiſerthums in der erſten Hälfte des Vierzehnten Jahrhunderts* (Frankf. 1755. 4.) §. VII. pag. 19. ſqq.

h) Vid. STEPHANI BALUZII *vitæ Pontif. Auenion.* (Paris 1693. 4.) Tom. II. pag. 290. ſqq. 309. 323. et MYRATORI *Antiqq. Ital. Tom. III. p. 377. ſqq.* nec non GIANNONE *Hiſtoire de Naples Tom. III. pag. 280. ſqq.*

## CAPVT SECVNDVM.

*Quo Iure Pontifices Romani videri voluerunt,*

*Vicariatum S. R. Imperii sibi arrogare, inuestigatur.*

## I.

Hominum mores cum hi sint, vt saepius longe aliam causam imo pectore tegant, ac ore profiteantur, iidemque rarius ii haberi velint, qui aliena ad se rapiant, nullo suo iure, contra in occupatione vel maxime iniusta iuris quamdam speciem prae se ferre, eiusque quasi umbra tegi soleant: veniendum erit ad illud ipsum, vt ostendamus, quam rationem inierint calliditatis illi magistri, vt iure meritoque administrato Imperii Capite destituti, in se transferri videretur. Neque vero mirandum erit, si vti res ipsa vana fuit, ita ius inane adpareat; multa enim, ex iure quodam ficto, in primis temporibus illis ignorantiae et tenebrarum, in huius vel illius potestatem transiisse, ab hoc vel illo esse aut possessa, aut in possessionem vocata, notissimum est. Qua quidem in re inprimis eminuerunt Romani Pontifices: quod iam historia duce exponere tentabimus.

## II.

*Gregorium VII. Hierarchiae fundamenta iccisse, et Clerum ab omni potestate seculari liberare studuisse, enarratur.*

GREGORIVS VII. antequam in Petri cathedram elatus esset, HILDEBRANDVS dictus <sup>1)</sup>, vir excelsi animi, magnisque rebus gerendis par, consilii plenus, pertinax et intrepidus, in ipsa

i) De vita, rebusque gestis Gregorii VII. scriptores memorantur a CASP. SAGITTARIO Inuicd. ad Hist. Eccles. Tom. I pag. 687. 599. et IO. ANDR. SCHMIDIO in Supplem. Tom. II. p. 627. Maxime inspicui possunt Acta Sanctorum T. V. Maii

ad d. XXV. p. 563. Adde vitam Gregorii VII a IYSTO CHRIST. DITHMARO editam (Frankf. 1710. 8.) cf. etiam CHRISTIAN WILH. FRANZ WALCH Entwurf einer vollständigen Historie der röm. Päbste. (Görsingen 1756. 8.) pag. 226. 599.

ipsa aula impetatoria versatus, optime didicerat, qua ratione sibi rebusque suis poterat consulere, Clerique potentiam adaugere <sup>k)</sup>. Ipsi enim aliorumque Episcoporum ac Presbyterorum consensu tum Stephanus IX. Pontifex <sup>l)</sup>, qui iam toti Italiae imperandi audax ceperat consilium, ao. MLVII. Bullam, qua coelibatum commendabat, crimen vero illud, quod a Simone magico nomen accepit <sup>m)</sup>, damnabat, promulgavit. Idem Hildebrandus postea ao. MLIX. quod tempus ipsi sub Henrico IV. tum impubere, commodissimum videbatur, per decretum Nicolai II. quo populo et toto Clero Romano ab electione Pontificum excluso, solis Cardinalibus Episcopis ea mandabatur, ad principia Pseudo-Isidori confirmanda, sedemque Apostolicam, et uniuersum clerum ab omni nexu cum Imperatore et potestate seculari segregandam, imo potius hanc potestati ecclesiasticae subiciendam, omnes nervos intendit <sup>n)</sup>. Qua quidem re sola Imperator omnem vim in ecclesiam Romanam amisit, et confirmatio electi Pontificis ipsi soli et successore illius, qui ab hac Apostolica sede *personaliter* tantum hoc ius impetrauerint, remansit <sup>o)</sup>. Quid, quod ao. MLXI. Nicolao mortuo, mox Hildebrandum sine Henrici IV. Imperatoris adhuc impuberis consensu et confirmatione, in Sedi Apostolicae successorem Alexandrum II. dando, occupatum videmus; qui quidem con-

natus

k) IOH. FRIDERICH LE BRET *Fortsetzung der Allgem. Weltgeschichte* (Halle 1779. 4) T. XLI. §. 819. p. 47.

l) IOH. STEPH. POETTER *Grundriss der Staatsveränderungen des Teutschen Reichs* (Gött. 1789. 8.) p. 88.

m) Quam late Simoniae crimen hac aetate patuerit, quamque perniciosos fructus ubique protulerit, vel illa documenta, ut infinita racemalia, demonstrant, quae Monachae Benedictini multis Galliae Christianae locis in lucem protulerunt. Cum etiam multi Romani vota sua,

quae in eligendis Pontificibus seruebant, venalia haberent, diuites itaque et Proceres sibi pecunia viam ad sedem Apostol. patefecerunt; id quod iam IOANNES FRIDERICH LE BRET in Opere suo praestantissimo *Fortsetzung der Allgem. Weltgeschichte*. T. 41. p. 55. obseruauit, cf. MYRATORII *Dissert. LXX. Antiq. med. aevi* T. V. p. 973.

n) IO. FR. LE BRET c. l. §. 843. pag. 63. 199.

o) Can. I. Dist. 23. cf. LE BRET c. l. §. 844. p. 65. not. o.



natus feliciter ei cessit p). Posteaquam vero Hildebrandus ad MLXXV. Apostolicam sedem ipse regendam acceperat, exsequendis consiliis suis fere in omnibus terrae regionibus occupatus, Geisam, regem Hungariae q), atque Swenonem Daniae r) S. Petri vassallos habuit, atque a Geisa Hungariae rege petiit, ut obedientiam sedi apostolicae debitam praestaret s), Swenonem autem regem incitavit, ut ipsi milites adversus Dei et sanctae ecclesiae hostes auxilio, nec non aliquem Episcopum e regno suo mitteret, quem in vicinam atque opulentam quamdam provinciam, quam nunc impii haeretici possiderent, principem ac defensorem ecclesiae institueret t); ut alia consilia de Corsica et Hispania suis reddendis silentio praeteream u). Tandem Gregorius id ausus est, ut Imperatorem Henricum IV. potissimum Simoniae accusatum, et ad se tanquam ipsius iudicem citatum, excommunicaret x), ipsius adeo regno priuati, omnes subditos a fidei sacramento absoluit y). Quo quidem nefando coepto, nisi me mea penitus fallit opinio, Gregorius eo tendedit, ut regnum Germanicum vna cum Imperio Romano merum electitum redderetur, et omnis iuris hereditarii umbra, qua hucusque semper stirps aliqua tegebatur, tolleretur, contra vero alius Princeps Rex et Imperator eligeretur z).

Mox

p) CHR. WILH. FRANZ WALCH  
c. l. pag. 224.

q) LE BRET c. l. T. 41. §. 903.  
pag. 113.

r) ibid. §. 904. p. 114.

s) ibid. §. 934. pag. 136.

t) ibid. §. 904. p. 114.

u) ibid. §. 934. p. 135. fgg.

x) ibid. §. 914. pag. 121.

y) Talem quidem relaxationem iuri vniuersali, quod singulis rebus publicis independentiam tribuit, e diametro repugnare, neque Pontifici, neque vlli alii potestatem competere vinculum obedientiae, quo subditi obstricti viuunt, relaxandi, egregie docuit IUSTVS HENNIGVS BOEHMERVS in *Introductione*

*in Ius Publicum Vniuersale* p. 594. Placuit et mihi sententia AENEAE SYLVII, qui *Lib. de ori. et auct. Imp. Rom. c. 16.* „Tolerandum, inquit, est patienter, quidquid princeps facit inique, expectandaque est vel successoris emendatio, vel superni correctio iudicis, qui violentias et iniurias non sinit esse perpetuas.“ Et iam veteres Christiani aperte profitebantur, se pro imperatoribus ethnicis, qui in ipsos tamen saeuiebant, preces fundere; id quod idem BOEHMERVS de Iprud. Vir immortalis fufus in *Dist. de iure precum publ. c. 1. §. 10. fgg.* ostendit.

z) EX quo postea (nam Henricus V. iam viuo adhuc patre, regno

Mex et Rudolpho, duce Sueviae, in Imperatoris Henrici locum electo, et, si Io. FRIDER. LE BRET <sup>a)</sup> fides habenda sit, a Sigfrido Episcopo ao. MLXXVII. coronato, is Germaniam, ad hanc ipso absente factam electionem inquirendam, decidendumque, vtri in regni ecclesiaeque salutem sceptrum esse possit, profectus est. Quid, quod adeo sibi a Germaniae regibus et Imperatoribus fidelitatem praestari voluit, quo et consilio iam Altmanno, Passaviensi Episcopo, iurisiurandi formulam, quo futurum quemque regem optavit obstringi, cuiusque summa perfectam erga Pontificem obedientiam fidemque vasalli exigit <sup>b)</sup>.

Fuit autem haec Gregorii VII. sententia: duos esse, quibus principaliter hic mundus regatur: auctoritatem sacram Pontificum, et regalem potestatem <sup>c)</sup>; in quibus tanto grauius pondus sit sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in diuino sint reddituri examine rationem. Nostri itaque inter haec ex illorum te pendere iudicio; non illos ad tuam redigi posse voluntatem <sup>d)</sup>. Extant et XXVII. breues sententiae de suprema potestate Romanorum Pontificum in vniuersam ecclesiam et rempublicam, quae Libro II. Epistolarum Gregorii VII. inter epistolam LV. et LVI. interiectae, sub titulo: *Dictatum Papae* leguntur <sup>e)</sup>. Qui quidem Dictatus etiam non sint huius viri, ostendunt tamen Pontificum Romanorum conamina.

### III. Cal-

potius erat) per tres plene liberas electiones Lotharii Sax. Conradi III. et Friderici I. Imp. continuo sibi subiectas factum est, ut exinde stabilita consuetudo nasceretur, ne quae vlla ab eo inde tempore dubitatio relicta est, quin Germania regnum plene liberum esset ac mere electivum, cf. BRUNO de bello Sax. ap. FRÖHERVM Tom I pag. 134. et POETTER Grundr. des Teufsch. Reichs p. 50. d.

a) c. I. §. 932. pag. 134.

b) ibid. §. 933 p. 150.

c) Can. 10. Dist. 96. ex Epistolis Gregorii VII. a. 1080. (Lib. 3. Epist. 21.)

d) Can. 9. Dist. 96. Egregie iterum Gregorius VII. (a. 1080.) „Quis, inquit, dubitet, sacerdotes Christi regum et principum omniumque fidelium patres et magistros censeri?”

e) 10. HARDVINI Concilia Tom. VI. P. I. pag. 1304.

III.  
*Cultum Iuris Canonici eiusque fallacem et aequiuocam interpretationem quoque dominati Pontificum inseruisse traditur.*

Illae etiam tenebrae et populi incredibilis superstitio et ignorantia, quibus fere cunctae Germaniae regiones circumfusae iacebant, atque litteris vix alii, quam clerici, et ii, qui ad beneficia ecclesiastica adspirabant, operam nauare solebant, sensim ad auctoritatem Pontificum vehementer extollendam fecerunt, ideoque non est, quod mireris, laicos tum non solum a clericis despiciatui esse habitos, hosque ad summa eo tempore honorum fastigia fuisse euectos. Nihil vero magis, cum clerus tum iam suis ipsius legibus ecclesiasticis auctoritate summi Pontificis conciliorumue laetis regeretur <sup>f</sup>), iis videbatur deesse, quam quod super iis, sicut de Iure Romano in academiis praelectiones inflituerentur. Quas *Canonum* seu legum ecclesiasticarum collectiones omnes, siue ordinem, siue vbertatem materiae spectes, nec absolutae dici, neque in scholis commode potuisse explicari IOH. LAVR. MOSHEMIVS <sup>g</sup>) animaduertit. Ad hunc finem obtinendum ao. MCLII. Eugenius III. Pontifex non ignorans, iuris Iustinianei in academiis praelecti auctoritatem, *Concordiam illam discordantium Canonum* a Gratiano ex veterum doctorum scriptis, Pontificum epistolis et conciliorum decretis priuatis auspiciis confectam ICTIS, qui iam eo tempore Leges Romanas Bononiae docebant, commendauit, vt de iis quoque exponerent <sup>h</sup>). Quae quidem Iuris Canonici Epitome auctoritatem et potestatem Pontificum insigni modo promouit <sup>i</sup>). Eodem consilio Pontifices; vt decretales, quas consulentibus dabant, vim auctoritatisque legum acciperent; sequioribus seculis ICTIS ad praelectiones ex iis in academiis habent

f) Varia ac egregia legi merentur, quae IVST. HENN. BOEHMERVS in *Praefat Corporis Iur. Canon.* (Halaë MDCCXLVII. 4.) §. X. sqq. ea de re exposuit.  
g) In *Instit. Histor. Ecclesiast.* Saec. XII. P. II. C. I. §. VI. pag. 453.  
h) CHR. WILH. FR. WALCH c. l. p. 252. not. 2.  
i) I. H. BOEHMER c. l. in *Praef.* §. XII. sqq.



habendas tradiderunt k). Etsi vero idipsum auxit iuris Romani studium, sine quo ne intelligi quidem satis poterant iuris canonici functiones, quarum permultae aut ex isto iure repetitae, aut saltem ad explicandas istius leges erant latae, ius tamen Canonicum, quod reuera passim aequiora adoptaret, et passim moribus popu-  
 lorum magis se accommodaret, quam ius Romanum, mox ubique praevaluit, illique aduersans semper antepositum derogauit. Sane et infidiarum ac fratragematum plena sunt Pontificum decreta. Inprimis vero Innocentium III. ingenii insignis virum in arte aequiuocationis magnopere fuisse peritum constat l). Ne autem plane desit aliquod exemplum, inspicias locum illum iuris canonici dissolutum m), quo Innocentius impostorem aliquem dolosum, qui mulierem quamdam, vt sibi committeretur carnaliter, falso nomine sibi sumto, desponsare promiserat, ab obligatione eam ducendi prorsus liberat, ita decernens, quia matrimonium tantum verbis promississet, animus vero ipsi numquam fuisset. Sic et in Decreto Gratiani n) statuitur, iuramenta dignitati clericorum aduersari, et omnino improbum esse, de fide sacerdotis dubitare; contra potius exigitur, vt ipsorum verbis absolute fides habeatur. En ipsa canonis verba: „Nullus ex ecclesiastico ordine cuiquam laico quicquam super sacrosancta Euangelia iurare praesumat: sed simpliciter cum veritate et puritate dicat, est est, non non.“ Quae quidem fallax arrogantia per decretum Concilii Triburiensis o) his verbis: *Laicus per iuramentum se expurget: presbyter vero, vice iuramenti per sanctam consecrationem interrogetur*, ratione lubrica hac adiecta: *manus enim, per quam corpus et sanguis Christi conficitur, iuramento polluitur*, videtur esse confirmata. Ita vero sensim paula-

k) FRID. CHRISTOPH IONATH. (*Frankf. MDCCLII. 4.*) *Tom. I. pag. 105. not. k.*  
 FISCHER *in der Geschichte des Despotismus in Teuschland (Halle 1780. 8.)*  
 pag. 130. cf. SILBERRADT *ad Heineccii Hist. Iuris Lib. II. §. 62. pag. 559 et 564.*  
 l) ION. PETER LVDEWIG *in der Erläuterung der Goldenen Bulle,*  
 LVDEWIG c. l. p. 337. not. s.  
 B

(*Frankf. MDCCLII. 4.*) *Tom. I. pag. 105. not. k.*  
 m) cap. 26. X. *de sponsal. cf. I. P. LVDEWIG c. l. p. 105. Spq.*  
 n) *Can. 22. Causs. 22. Qu. 5. cf. LVDEWIG c. l. pag. 335. Spq. not. s.*  
 o) *Can. 4. Causs. 2. Qu. 4. cf. LVDEWIG c. l. p. 337. not. s.*



paulatimque eo peruenerunt Pontifices, vt ipsi totius orbis terrarum legislatores haberentur <sup>p</sup>), quibus et eo magis sit parendum, quo spiritualia corporalibus sint praefenda: hanc enim rerum omnium diuisionem, ita vt nihil magis repetiere.

## IV.

*Studium Pontificum multas seculares causas ad aedes sacras trahendi, sibi que iurisdictionem in causis ecclesiasticis parandi, vt et exinde ipsorum potestas adaugeretur, exponitur.*

Profecto et hoc callide factum est a Pontificibus Romanis, vt negotiorum secularium, tam iudicialium, quam extraiudicialium, aliorumque quae ad rempublicam pertinebant, et haud minoris momenti erant, in sacras traherent aedes, vt causae viderentur ecclesiasticae, vt et illarum rerum conficii atque participes essent, et vna rebus suis prospicerent, id quod iam diu Io. PET. DE LVDEWIG <sup>q</sup>) recte obseruauit. Specimina clericarum argutiarum hac in re sunt in impositione nominum ad sacrum fontem, et receptione in numerum Christianorum per baptismum, in consecratione sponfalium et matrimoniorum, in adoptionibus et manumissionibus, in religione iurisiurandi, quae etiam in templis fieri coram altari cuperunt <sup>r</sup>), in testamentis condendis, et sepulturis in atrio templorum, nec non denique, quod potissimum

p) Custodiri in bibliotheca regia Berolinensi *Codicem MCrum Gratiani antiquissimum Seculi XIII.* manu elegante in membrana scriptum, refert IUST. HENN. BOEMMERVS in *Iure Publ. Vniuersali L. III. Cap. II. §. VI. not. z.* vbi prima littera *Decreti Grat. H.* scilicet in parte superiore *Pontificem*, altera manu benedicentem, altera autem fasciam quandam tenentem, in parte vero intima litterae, *Imperatorem* dextra

suagladium, sinistra autem manu eandem fasciam apprehendentem praesentat. Ipsi fasciae autem hic notabilis et fastuosus versus inscriptus legitur:

*Rex ego sum regum, lex est mea  
maxima legum,  
Te facio regem, tu recram dilige  
legem.*

q) in *der Erläuter. der Güld. Bulle p. 294. n. e.*

r) *ibid. p. 120. not. i.*

num Principes et Imperantes adinet, in vnctione regum \*). Cum enim ab antiquissimis temporibus Imperatores reges crearent, inueniunt Pontifices vnctionem, vt se etiam possent immiscere; et statuerant, reges vinctos aliis non vinctis praeferi honore, dignitate ac iuribus \*). Pontifices semper in iuribus sub specie plenitudinis potestatis e manibus Imperatorum rapiendis, sibi-que tribuendis erant occupati. Sic eos libertate eligendi episcopos; iureque de litigiosis electionibus cognoscendi decidendique priuarunt, nec non potestatem contra iura dispensandi <sup>u)</sup>, et a iuribus iurandis, aliisque variis obligationibus absoluedi ambierunt \*). Insuper et iurisdictionem in causis ecclesiasticis Pontifices sibi a primis inde temporibus arrogasse, eandemque Imperatoribus vel in conciliis <sup>l)</sup> ereptam, vel ab his ipsis non vindictam esse, historia docet <sup>z)</sup>. Sic Fridericus II. Imperator <sup>a)</sup> constituit, vt nullus ecclesiasticam personam in criminali quaestione vel civili, trahere ad iudicium saeculare praesumat contra constitutiones imperiales et canonicas sanctiones. Quod si actor fecerit, pergit ille Augustus poenam dictans, a suo iure cadat, et iudicatum non teneat: et iudex ex tunc potestate iudicandi priuetur. Postea videmus et Rudolphum I. Imperatorem <sup>b)</sup> ao. MCCLXXV. Gregorio X.

B 2 Pontificis

stitutio postea tanquam Authentica L. 33. C. de episcop. et cleric. adiecta, et statim ab Honorio III. Pontifice his verbis confirmata reperitur: Nos vero Honorius Episcopus, Seruus seruorum Dei, has leges a Friderico Romanorum Imperatore, filio nostro carissimo pro veritate omnium christianorum editas laudamus, approbamus et confirmamus, tanquam in aeternum valituras.

u) cap. 4. X. de concess. praebend.  
x) C. 2. Causs. 15. Qu. 6.

y) Consil. Mariscon. II. de a 585.  
Con. 9.

z) Vid. Append. I. ad Visiones Senckenbergii Monum. III. p. 160. Mon. IV. p. 179. Mon. V. p. 185. cf. etiam SENCKENBERGIVS in Methodo App. VI. p. 209. n. 1. nec non STRUBENIVS in Nebenst. T. I. pag. 14.

a) in Constit. de Libertate Ecclesiastica a. 1229. §. 4. Quae quidem con-

b) ODOARD. RAYNALD. ad a. 1275. et Acta Lausann. in Append. Diss. de summo Apost. sedis. imperso in urbem Comac. cf. FISCHER c. I. p. 147.

Pontifici in peculiaribus litteris adfirmasse, in futurum se neque litigijs Episcoporum electionibus immiscere, neque appellationes ad Romam impedire velle. Ideo Rudolphus, Romanorum rex <sup>c)</sup> ao. MCCLXXXII. electus, in capitulatione sua negavit lites, quae ex iure consuetudineque ad iudicium ecclesiasticum pertinerent, se cognoscere, nedum permittere velle, vt idem ab alijs iudicibus secularibus fieret; atque ipse Ludouicus IV. <sup>d)</sup> Romanorum rex ao. MCCCXXIII. *iurium S. ecclesiae Romanae statum solidare, et iura eius semper seruare pollicitus est.* Accessit sequenti tempore, quod Pontifices Laicis tempore Imperii Romani vacantis ius ad Apostolicam sedem aliumque ecclesiasticum iudicem in causis adeo secularibus appellandi concedebant <sup>e)</sup>; cuius quidem rei infra exemplum proferemus.

## V.

*Somnium de duplici in his terris potestate cumulum addidisse potentiae Pontificiae ostenditur.*

Maximopere etiam fovebatur egregium illud sistema ad condendam et stabiliendam monarchiam vniuersalem inuentum, duplicem a Deo constitutam esse supremam mundi visibilem potestatem, vtramque Dei et Christi vicariam; alteram Papae, spiritualem ac sacram, alteram autem secularem atque profanam, illi subordinatam, quartae Dei iussu à Romanis Graecisque ad Francos et Germanos <sup>f)</sup> translatae monarchiae. Imperator eo tempore *Caput temporale totius populi et Orbis christiani* <sup>g)</sup> *omniumque Fidelium* <sup>h)</sup>, *Christique Vicarius* <sup>i)</sup>, *Monarcha omnium regum,* et

c) GVDENVS in *Cod. Dipl. Mogun.* Tom. I. n. 403. p. 861.

d) in *Protest. et Appellat. ad Concil. Generale a. 1323.* apud HARZHELM. *Concil. Germ. T. IV. p. 299.* et OLEN. SCHLAGER in *Staatsgeschichte d. R. Kayserib. in Urkund. N. XXXVII.*

e) CAP. 10. X. *de foro comp.*

f) CAP. VII. *de Iureiur. Clem.* et cap. 34. X. *de elec. et elec. potest.*

g) WENCKER in *Appar. Instrum. Archivor.* pag. 296. et 10. STEPH. PUETTER *de Institutione Imperii Romani P. VII. pag. 13.* (b)

h) PUETTER *c. l. p. 14. not. b.*

i) Ex Wipponis narratione de vita Conradi Sal. (apud Pistorium

17

*ei Principum terrenorum Dominus, Custos orbis christiani* <sup>k)</sup>, et omnino Dominus totius terrarum orbis habebatur <sup>l)</sup>. Per multa enim in pristinis historiae monumentis, nec non in legibus Digestorum et Codicis reperiuntur vestigia, Imperatores olim *Principes diuinos* <sup>m)</sup>, *aeternos* <sup>n)</sup>, *sanctos*, et *sacratissimos* vocari voluisse, ideoque quicquid vel ab iis procedebat, vel ad eos quodam peculiari modo spectabat, his nominibus indigitabatur. Ipsum adeo Imperium Romanum tanquam *Sacrum* prae caeteris omnibus Europae regnis salutatum fuisse constat <sup>o)</sup>. Ab initio quidem Imperatoribus Pontificibus nemo addictior fuit, et ad ipsorum potentiam augendam studiosior, id enim iis erat persuasum, quo magis Imperatorum potentia augeatur, eo securius atque facilius suam crescere. Vehementer igitur laetati sunt, quod Imperatores dicebantur Domini mundi, voluerunt enim, idem sibi eminentiori sensu arrogare. Quemadmodum enim Imperator in politicis Dei vicarius et caput temporale totius populi christiani omniumque fidelium et totius orbis dominus salutabatur, sic Pontifex in sacris idem esse voluit, ut iam Gregorius VII. <sup>p)</sup> loco supra laudato statuit. Persuaserunt profecto Pontifices hominibus, sese Christi Vicarios ac Praepositos esse feudales, ideoque se posse omnia regna paganorum et hereticorum ad se recipere, aliis concedere,  
aut

T. III. p. 466.) Archiepiscopus Mog. in consecratione hunc regem sic allocutus est: *Ad summam dignitatem peruenisti, Vicarius es Christi.*

k) PUESTER c. l. p. 14. not. b.

l) In Lege 8. Digest. *Lege Rhod.* de iactu Antoninus Imperator ita iacet: *Εγω τῶ νόμου κειμένου.* Pari modo Henricus VII. Imperator in Constitutione, quae inter Extraneantes Corporis Iuris Romani, quas nonnulli Collationem XI. appellant, sic loquitur: *Ad reprimentum multorum facinorosa, qui ruptis totius debitae fideli-*

*ratis habenis aduersus Romanum Imperium, in cuius tranquillitate totius orbis regularitas requiescit, hostili animo armati conantur, nedum humana, verum etiam diuina praecepta, quibus iubetur, quod omnis anima Romanorum principi sit subiecta, sceleratissimis et.*

m) Const. *Henrici VII.* ismiam laudata, quae inter Extraneantes reperitur. et L. vlt. C. de quadr. praeser.

n) L. 3. D. de natal. restituend.

o) PUESTER c. l. p. 16. not. g.

p) Can. 9. et 10, Dist. 96.

aut sibi adseruare q). Imo Pontifices adeo terras distribuerunt r). Hinc factum est, plurima atque insignia regna catholica peculiaribus nominibus a Pontifice, quasi eorum domino directo dependere. Ita honoribus tributis et titulis in gratiam regum se insinuarunt s). Idem postea et reges creare ausi statuerunt, neque Imperatorem nedum vllum alium sine Pontificis consensu denominari posse t). Non itaque mirum est, quod Innocentius III. Pontifex u) ad Ottocarum, tum ducem Bohemiae, a Philippo Imperatore ao. MCCIII. regem salutatum scribit, dignitatem suam absque suo ipsius consensu acceptam nullam esse; se tamen velle ex beniuolentia factum Imperatoris confirmare. Nulla grauior pestis rebuspublicis imminere potuit, quam haec sacra tyrannis, nimbo auctoritatis diuinæ instructa, quae facile vulgus superstitione captum decipere potest. Quantas turbas ac seditiones hoc impium dogma excitauerit, historiae omnium seculorum loquuntur. Facile vero adparet, hoc dogmate nefando aulam Romanam spectasse imperantium potestatem supremam suppressimere, regiaque scepra pedi suo subiicere. Itaque Hadrianus IV. x) Archiepiscopis Germaniae Primatibus ao. MCLV. sic scribere non dubitauit: „Imperator quod habet, totum habet a nobis. Sicut Zacharias transtulit imperium a Graecis ad Teutonicos, ita nos possumus ab Alemannis transferre ad Graecos. Ecce in potestate nostra est, ut demus illud, cui volumus. Propterea constituti a Deo super gentis et regna, ut destruamus et vellamus, et aedificemus, et plantemus.“ Hanc translationem imperii a Pontifice factam regno Rom. Germanico valde perniciosam mirum in modum vrsit Ioannes XXII. Pontifex in Bulla Auenione ao. MCCCXXI. data v): Posteaquam inquit,

q) IOH. PET. LVDEWIG in der Erläut. der Guldnen Bulle T. I. p. 25. not. b.

r) ibid. p. 26. fgg.

s) ibid. p. 626. not. y.

t) IO. PET. LVDEWIG c. l. p. 455. not. n.

u) RAYNALDI Annal. Eccl. T. III. ad an. 1204. nec non CHERVBINI Bullar. Tom. I. ad hunc an. cf. LVDEWIG c. l. pag. 455.

x) IO. AVENTINI Annal. Boior. Lib. 6. c. 5. num. 10. p. 607.

y) IO. AVENT. c. l. Lib. 7. cap. 16. num. 8. pag. 724.

inquit, a decessoribus nostris, res Romana a Graecis ad Germanos translata, Carolo magno in fidem atque tutelam commissa est, summus ille honor beneficium pontificis max. esse solet. Decretum si quidem est, ut cum Germani principes regem iussissent, id demum ratum esset, si Rom. Pontifex, vniuersi orbis christiani pater, atque princeps ductor fieret, nec ante cuiquam comitiis Caesareis, suffragiis principum designato regi, neque administrandi, neque regii tituli usurpandi ius est, quam primarius sacerdos, Dei optimi legatus, suo numine faueat et aspiret. Quemadmodum animus imperare, corpus illi, cuius beneficio uiuit, seruire debet, ita optime consultum esse rebus christianis nemo ambigit, ubi fragilia aeternis, profana sacris, corporalia spiritualibus subdita sunt atque obtemperant. — Ecclesia dominatur, eius lege, atque imperio omnis potestas redigitur. Et Imperator religione sacramenti ei, qui terris praesidendo vicem coelestis imperatoris persungitur, addictus est. Accedit, quod in primis Innocentius III. iam ao. MCIC. 2) Imperatorem cum luna comparauerat, quae lumen a Pontifice tanquam sole acciperet.

Vti vero Pontifices Romani docti fuere omnia in rem suam transferre, ita et eo Imperatorio titulo abusi sunt, ex quo protectores supremi et vniuersales appellarentur talesque colendi erant. Fecit autem iam Carolus M. ita iurasse: „In nomine Christi spondeo ac polliceor ego Carolus Imperator coram Deo et B. Petro apostolo, me protectorem ac defensorem fore huius sanctae Romanae ecclesiae in omnibus utilitatibus, quatenus diuino fultus fuero adiutorio, prout fieri poterit“ 2). Cuius quidem defensionis et Aduocatae Rom. ecclesiae prima origo ab ipsa defensione vrbis ducenda erat, atque cum primis initiis instauratae sub Carolo M. dignitatis Imperatoris Romanorum arctissime cohaeret. Ea enim

mente

2) in Epistola ad Imperatorem Constantinopolitanum in Cap. 6. §. 4. X. de maior. et obed. „Ad firmanentum coeli, hoc est, vniuersalis Ecclesiae, fecit Deus duo magna luminaria, id est duas instituit dignitates, quae sunt Pontificalis auctoritas et Regalis potestas. Sed illa, quae

praestit debet, id est, spiritualibus, maior est; quae vero carnalibus, minor: ut quanta est inter solem et lunam, tanta inter Pontifices et reges differentia cognoscatur.

a) BARONIVS in *Annal. Tom. IX.* ad an. 800. §. 7.



mente iam Carolo Martello a Romanis oblatu<sup>b)</sup>, et ab eius filio Pipino<sup>c)</sup> susceptus, vnaque cum successione regni Francici ad Carolum M. delatus fuerat *Patriciatus Romanorum*, cui obligatio defendendi ecclesias strictissime fuit annexa<sup>d)</sup>. Sequioribus temporibus, licet sub Carolo M. postea ao. DCCC. Patriciatus in dignitatem Caesaream mutata sit, huic tamen manebat eadem defensio ac aduocata ecclesiae Romanae. Sic enim Otto M. ao. DCCCCLX. Pontifici Ioanni XII. iurauit<sup>e)</sup>: „*sanctam Romanam ecclesiam et te rectorem ipsius exaltabo secundum posse meum; et in Romana vrbe nullum placitum, aut ordinationem faciam de omnibus, quae ad te, aut ad Romanos pertinent, sine tuo consilio, et quidquid de terra sancti Petri ad nostram potestatem peruenerit, tibi reddam*“<sup>f)</sup>. Henrico autem IV. Imp. haec iurisiurandi formula, quae altiores ostendit spiritus Romani Pontificis, praescripta erat: *Ab hac hora et deinceps filius ero per rectam fidem B. Petro apostolo, eiusque vicario papae Gregorio (VII.) et, quodcunque mihi ipse papa praeceperit, sub his videlicet verbis: per veram obedientiam, fideliter, sicut oportet Christianum, obseruabo*“<sup>g)</sup>.

## CAPVT

b) I. ST. PUETTER *de Instaur. Imp. Rom. P. VII. pag. 3. not. a.*

c) *ibid. pag. 4. not. c.*

d) Formulam tribuendi Patriciatus pristinis Imperatoribus vltimam hanc exhibet PAGI *ad an. 740. n. 6.* Hunc honorem sibi concedimus, *ut ecclesis Dei et pauperibus legem facias, et inde apud altissimum iudicem rationem reddas.* cf. MASCOVIUS in *der Geschichte der Teufelben T. II. §. 6. pag. 237.*

e) Can. 33. Dist. 63. cf. BARON. *Annal. Tom. X. ad an. 960.* et PUETTER *Grundriss der Staatsveränd. des Teut. Reichs p. 76. not. m.*

f) Comparari merentur, quae ad hanc formulam monuit SCHILTERVS *de Libertate Ecclesiae Germ. Lib. III. c. 5. §. 2. p. 315. 399.*

g) Nec sequentes Imperatores detrectare poterunt similem iurandi formulam, quae vel ad hunc usque diem continuatur in quaestione, quae coronando Imperatori proponi, et ad quem annexa iurisiurandi fide respondere solet. Cap. vn. *de Iur. iur. Clem.* cf. etiam PEEFFINGER *ad Vitiar. illustr. T. I. p. 887.* et IO. STEPH. PUETTER *de Instaur. Imp. P. VII. p. 11.*



## CAPVT III.

*Aufus Pontificum Vicariatus Imperii sibi arrogandi ex ordine temporum historice exponuntur.*

## I.

*Innocentius III.*

Expositis causis, propter quas vacantis Imperii curam ad suum arbitrium arripiebant Pontifices Romani, tituloque enucleato, per quem eandem sibi arrogare audebant; veniendum est ad ipsam historiam, vt eius luce adpareat vniuersa ipsorum audacia ac temeritas. Sub finem quidem Seculi XII. et initium XIII. Pontifices, animo certe voluntateque, Domini fuerunt orbis terrarum. Quod enim a maioribus, inprimis autem a Gregorio VII. viro alti spiritus animique imperiosi, traditum acceperant imperii fastigium, totiusque iuris Pontificalis potentiam, vi, astutia, variisque subdolis artibus, armis adeo spiritualibus, et excommunicationis fulminibus, strenua ac pertinaci manu defenderunt. Dictitantes se supremos orbis terrarum dominos, potestatem et facultatem regna donandi eademque regibus, qui minus ipsis probabantur, eripendi arrogarunt, ac sensum paulatimque principes a rebus humanis adeo ac ciuilibus arcere<sup>h)</sup> et tandem in ipsam adeo Imperii Romani aut reuera vacantis, aut dubio gubernaculo laborantis, administrationem et Vicariatus iura irruere coeperunt.

Princeps autem fere, qui hanc sibi potestatem aperte tribuit, fuit INNOCENTIVS III. vir doctus quidem ea, quae haec ferebant tempora, at superbus, auarus et arrogans<sup>i)</sup>. Qui quidem Gregorii VII. praecepta de Hierarchia tuenda et confirmanda strenue sequens, maiorunque vim et licentiam pro virili adaugens, supre-

<sup>h)</sup> Probationis causa legi merentur *Innocentii III. et Orsonis IV. Imperatoris epistolae*, quas G. CHR. GEBAVERVS publici iuris fecit in *Hist. Richardi Imperatoris Germanica*, p. 611. sqq.

<sup>i)</sup> MATH. PARIISI *Hist. maior.* p. 206. et 230.

supremum non in ecclesia solum, quod illis maximam partem debebat, verum etiam quo ipse studuit inclarescere, in totum terrarum orbem adfectavit imperium, atque reges pro lubitu et in Asia, et in Europa creare ausus est <sup>k</sup>). Imo Imperatores Romanos, quod iam Io. LAVR. MOSHEMIVS <sup>l</sup>) egregie docuit, potentiam Romanae ecclesiae reuereri ac timere coegit. Nam cum sub initium Seculi XIII. Philippus, Sueviae dux, et Otto IV. tertius Henrici Leonis filius de imperio in Germania certarent, hoc probato, illum fulminibus suis terruit; et mortuo Philippo, anno MCCIX. Ottonem Romae diademate Imperiali ornauit. Qui cum postea ad voluntatem Pontificis ex toto se componere recusasset, mutato animo, ipsum Imperio pronunciauit indignum, atque locum eius Fridericum II. Henrici VI. filium, vtriusque Siciliae regem ao. MCCXII. occupare iussit <sup>m</sup>). Iam vero eo tempore, quo dicti duces de corona Imperii dimicabant, Innocentium III. statuisse, sibi, quia tunc Augustus nullus imperaret, summam Imperii potestatem eiusque administrationem, tanquam Vicario Imperii competere, ex illius epistola decretali <sup>n</sup>), quam MCCVII. Vercellensi Episcopo misit, facile est intellectu. Hac enim epistola Pontifex laicis, si se in aliquo senserint praegravari, hoc potissimum tempore, quo vacante Imperio <sup>o</sup>), ad iudicem secularem recurrere nequeant, ad Papalem audientiam appellandum decreuit. Eodem anno idem Innocentius ad Ducem Caringiae scripsit:

<sup>k</sup>) In Asia dedit regem Armenis. In Europa ao. MCCIV. *Primiflo.* Duci Bohemiae honores regis decreuit. Eodem anno et Ioannicio, Bulgarorum et Walschorum Duci, coronam regiam per legatum imponi iussit; *Perranque II. Aragonem*, qui regnum suum ecclesiae subiecerat, Romae regem salutauit et coronauit. *MVRATORI Antiqq. Ital. med. aevi Tom. VI. p. 116,*

<sup>l</sup>) In *Institut. Hist. Ecclesiast. Ant. et Recentioris (Helmst. MDCCCLV. 4.) Saec. XIII. P. II. §. VII. p. 508.*

<sup>m</sup>) *Origg. Guelf. Tom. III. Lib. VII. p. 247. 199.*

<sup>n</sup>) *Cap. 10. X. de foro compet.*

<sup>o</sup>) Quia hoc tempore dissidium inter Philippum et Ottonem IV. Electos adhuc durabat, et incertum erat, vtrum hic an ille verus esset Imperator, Imperium vacare ait Pontifex, ideoque RAYNALDVS in *Anal. Tom. I.* per hoc tempus usque ad mortem Philippi annos vacantis Imperii occidentalis constituit.

psit p): neminem Principem ab Electoribus q) regem Romanum electum, posse pro vero Imperatore haberi ante, quam ipsius persona, fides ac probitas a Pontifice examinatae et probatae essent, sibi enim, si dignus electus repertus sit r), ius candidatum adprobandi; et, si indignus visus sit, eundem, quomocunque fieri possit, repellendi, veluti summo rerum domino competere, adfirmare non erubuit. Cuius quidem adsertionis rationem addit hanc: quia vinctio et consecratio tamquam sacramentum pagano vel heretico, quem ipse scilicet habuerit, concedi nequeat; quo quidem impedimento occurrente electio ipso iure pro nulla habenda, aliusque candidatus a Principibus electus, ipsi sit exhibendus. Praeterea in electione votis principum Electorum diuisis, Pontifex post admonitionem et expectationem ius alteri partium fauendi, ideoque electionis decisionem, sibi temerarius arripuit, neque minus ius supplendi sibi arrogauit, si forsitan principes admoniti et expectati vel non potuerint, vel noluerint animo conspirare amico.

## II.

## Innocentius IV.

Neque vero INNOCENTIVM IV. virum arrogantia et pertinacia plenum, magnisque rebus gerendis insignem, silentio praeterire possum, vtpote qui, si non in Vicariatu Imperii sibi aperte arrogando, aliis tamen dominatus in Germaniam exercendi conatibus omnino excellit. Hic enim Pontifex similibus ex causis Fridericum II. Imperatorem odio habuisse, pessimisque consiliis adortus esse videtur. Ex concertationibus enim inter Imperato-

C 2

rem,

p) Cap. 34. X. de elect. et elect. potest.

q) Reliquit enim Pont. Innocentius III. Electoribus ius et potestatem eligendi regis, Imperatoris postmodum dignitate exornandi, tam quam ex iure quodam ac antiqua consuetudine ad eos pertinens, adens ta-

men magna cum iactantia: id ipsum ad illos ab Apost. sede, quae Romanum Imperium in personam Magnifici Caroli a Graecis in Germanos transiit, peruenisse.

r) E. T. SPITTLER *Geschichte der Christl. Kirche* p. 305.



rem, e comitiis ao. MCCXXXV. Moguntiae habitis<sup>o</sup>), in Italiam regressum et Gregorium IX. Pontificem<sup>o</sup>) agitatis, hic haud dubie ansam arripuit pessime habendi eius, quem postea tanquam *durat guerrarum commotionis et tribulationis auctorem, aliorumque scelerum commissorum reum* iudicavit, et quo iniquissime proscripto, in concilio Lugdunensi MCCXXXV. conuocato, Imperium vacans declaravit<sup>u</sup>), atque Electoribus eligendum successorem imperavit. Quo facto mox ao. MCCXXXVI. Henricum primum, Rasponem dictum, Thuringiae Landgrafum<sup>x</sup>), hoc autem mortuo, posteaquam Petrum Capucium, ecclesiae cardinalem in Germaniam legatum miserat, ao. MCCXXXVII. Wilhelmum Hollandiae Comitem<sup>y</sup>) regem Romanum eligendum curavit, eundemque postea, Friderico Imperatore ao. MCCLI. defuncto, confirmavit. Et idem Innocentius eodem anno in Italiam reuersus<sup>z</sup>), cum Conradus regna hereditaria, quae Pontifex per proscriptionem Friderici sedi Apostolicae feuda aperta esse perhibebat, sibi tradere iure meritoque recusasset, eundem excommunicavit<sup>a</sup>). Praeterea et de eo notissimum est id, quod ex bulla, quae apud ODOARDVM RAYNALDVM<sup>b</sup>) exstat, perspicitur, conclusum adeo Imperii aliquod de anno MCCLII. ab eodem Papa auctoritate apostolica ratum habitum fuisse atque confirmatum.

III. Clg.

1) IO. STEPH. PUETTER *Entwickelung der heut. Staatsverfassung des Teufchen Reichs.* (Gött. 1786. 8.) T. I. p. 215.

t) Cap. 2. de sens. et re iud. in 6. p.

u) CHR. WILH. FR. WALCH c. l. e. 278. cf. etiam Cap. 2. de sens. et re iud. in 6. PUETTER *Grundriss der Staatsveränd. des Teufchen Reichs* p. 117.

x) ALBERT. STADENSIS *ad an. 1246. p. m. 218.* et in *Gestis Treuir. Archiepiscop.* c. 186. p. 253. nec non *Hist. de Landgrav. Thuring. c. 50. et*

52. in *Pistorii Script.* Tom. I. p. 1327. sq.

y) MATTHAEVS PARIS *ad an. 1247. p. m. 656 sq.* et *MONACHVS PATAV.* Lib. I. p. 684. nec non *Magnum Chron. Belg.* in *Pistorii Scriptor.* Tom. III. p. m. 266. sq.

z) NICOL. DE CYREIO *vita Innoc. IV.* in *STEPH. BALVZI Miscell.* Tom. VII. p. 353. sq.

a) WALCH c. l. pag. 278.

b) in *Annal. ad an. 1252. n. 17.* cf. etiam *FRID. CHR. IONATH. FESCHER c. l. p. 128. not. d.*

III.  
Clemens IV.

Cum autem tot et tanti fuerint ausus Pontificum Romanorum, non magnam faciet mirationem, quod et CLEMENTEM IV. virum alioquin prudentem, pium atque constantem, nonnumquam tamen vindictae cupidissimum <sup>e)</sup>, in ea re, quam nobis enarrandam sumus, Antecessorum vestigia premere conspiciamus. Is enim Carolum, Ducem Andegauensem, in quem anno MCCLXVI. regnum Siciliae transtulerat <sup>d)</sup>, insequenti anno Senatorem Romanum, et per Tusciam ad regnum Germaniae pertinentem *Paciarium* <sup>e)</sup> conseruatoremque pacis in triennium creauit <sup>f)</sup>, adiecta tamen lege, vt, si quem Apostolica sedes regem Romanum vel Imperatorem denominasset, statim munere intra mensis spatium decederet. Qui vero conatus Pontificis Alphonso X. regi Castiliae, tum Germaniae regi electo, tam vehementer displicuit, vt in illum ob iura Imperatoris violata inueheret <sup>g)</sup>. Cui deinde Pontifex, *se se videntem in limine discrimen, solummodo pacis tutelam in Tusciae finibus, quae vacanti subsint Imperio, duxisse illi committendam, ideoque eundem non Imperii, sed pacis constituisse seruatorem*, respondit <sup>h)</sup>. Idem Pontifex, reiecta hac adfirmatione, insequenti anno eundem Carolum per Italiam verum, neque fictum Vicarium Imperii creauit <sup>i)</sup>, et idcirco ad omnes Tusciae ciuitates litteras, quas vocant *Circulares*, misit <sup>k)</sup>. Luculentissime igitur exinde adparet, Clementem Florentiae pro suo

c) MURATORIUS in *Script. Rer. Ital.* T. III. P. I. p. 594. cf. HAE-  
BERLIN c. l. Tom. III. p. 155.

d) WALCH. c. l. p. 291.

e) DU FRESNE *Glossar. med. et inf. Latinis.* T. V. p. m. 6.

f) in *Breui Ep. d. s. Iun.* 1267. n. 9. ap. Rinald. cf. HAE-  
BERLIN Tom. II. p. 165. sqq.

g) LE BRET c. l. Tom. 42. pag. 345. not. c.

h) CLEM. IV. *Epp. in MARTENE Thes. Anecdor.* T. II. cap. 499.

i) CLEM. IV. *Epp.* n. 492. 512. in MARTENE c. l. Tom. II. p. 587. et CONRADINI *Querimonia* cet. in *Chron. Sicil.* c. 34. op. *Eumd. ibid.* cf. etiam HAE-  
BERLIN c. l. Tom. II. pag. 265.

k) *ibid. Ep. 625.* apud *Eumd.*

suo lubitu et arbitrio, etiamsi speciem prae se ferre voluit, ac si omnia nomine Imperatoris ac Imperii iuberet <sup>l)</sup>, insituisse, Vicariumque suum Carolum habuisse; cum totius Imperii curam et tutelam ad se pertinere, aperte professus sit.

## IV.

*Bonifacius VIII.*

Longe maiora ad dignitatem, potestatem atque potentiam Cleri obfirmandas et augendas BONIFACIUS VIII. ausus est, vir in subeundis grauissimis rebus audacissimus, et in iisdem perficiendis constantissimus, qui et se iuris diuini ac humani cognitorem, legislatorem, nec non caussarum publicarum admodum peritum probauit <sup>m)</sup>. Vix enim sede Apostolica occupata, incredibili auaritia <sup>n)</sup>, ambitione ac superbia ductus, omnia orbis terrarum regna scabello suo subiicere studuit, verbo, id vnice egit, vt Gregorius VII. ex inferiis rediisse, ecclesiaeque redditus videretur. Huius nefandae arrogantiae illa Bulla <sup>o)</sup>, cuius argumentum iam supra fusius tradidimus, egregium fert testimonium. Quo vero Hierarchiae tela tegetet, ea Scripturae S. dictis innoluit: quae terribilis hominis temeritas, stupenda impietas, et blasphemae applicatio in se resque suas ex eadem Bulla <sup>p)</sup> clare intelliguntur, lectoremque summa percellunt indignatione.

Idem, postquam Albertus I. Rudolphi Habsburgici filius ao. MCLXXXVIII. occiso Germaniae rege Adolpho, vnanimibus votis a Principibus electus, ideoque iure ad coronam Imperii

l) In *Epistolis* CLEMENS IV. verbis vsus est his: *Tuio Imperii ad nos pertinet. Ep. 450 Nos fluctuantis Imperii curam gerimus. Ep. 625. cf. etiam LX BRIT c. I. Tom. 42. p. 346. not. g.*

m) IO. RVBRI *Bonifacius VIII.* (Romae 1651. 4.) *Lib. I. c. 1-3. et. L. II. cf. RAYNALDVS T. XIV. ad an. 1294. n. 3-25. p. 461.*

n) HAEBERLIN c. I. *Tom. III.* pag. 650.

o) Cap. I. *de maiorit. et obed. Extrav. Comm. cf. OLENSCHLAGER Staatsgesch. des Röm. Kayserth. in Urkundenb. Num. 1.*

p) OLENSCHLAGER c. I. §. I. pag. 2.

perii poscendam vocatus erat, Bonifacius VIII. teste TRITHEMIO <sup>q)</sup>, ipsi tanquam homicidae antecessoris, criminisque laesae maiestatis reo, ideoque regimine Imperii indigno, confirmatione, quam iam ter a Pontifice petierat, denegata <sup>r)</sup>, et nuntiis ad ipsum missis, sese Imperatoris vicem sustinere, tutelamque regni Germanici gerere posse, superbe et imperiose respondit <sup>s)</sup>. Nec quidquam tui temporis ex consilii huius Pontificis prius atque antiquius fuit, quam ut et Italia, et Germania per ciuilia et domestica bella turbatae et trubulentae vexarentur, quo firmitus imperium sedis Apostolicae, nullis terminis circumscriptum, posset stabiliri. Regnum quidem Italiae, quod FERRETUS VICENTILUS <sup>t)</sup> testatur, Bonifacius VIII, cum potestate regia et Vicarii nomine solus obtinere voluit, qua de causa impediendus fuit Albertus, quo minus, imposita sibi regni corona <sup>u)</sup>, iura summam Imperatoriae dignitati competentia strenue exerceret <sup>x)</sup>. Neque aliter egit ac si Imperium Germanicum vacaret, nam Principem Francicum Carolum Valesium ao. MCCC. *Paciarium* Etruriae creauit, et huic modo Graeci, modo Romani Imperii coronam promisit <sup>y)</sup>. Quem quidem arbitratus est fratrem, Philippum,

q) Chron. Hirsaug. ad an. 1299.

r) BENEVENTUS DE RAMBALDIS in Libro Augustali in FREHERI Scrip. rer. Germ. Tom. II. p. 19.

s) FRANC. PIPINI Chron. Lib. IV. c. 47. ap. MVRATOR. in Scrip. Ital. Tom. XI p. 1204. (Bonifacius) sedens in solio armatus et cinctus ense, habensque in capite Constantinii diadema, stricto dextra capulo ensis accincti, ait: Numquid ego summus sum Pontifex? Nonne ista est Cutbedra Petri? Nonne possum Imperii iura rutari? Ego sum Caesar: ego sum Imperator. cf. etiam OLENSCHLAGER Staatsgesch. c. II p. 4. n. 3. et HÄBERLIN c. I. Tom. II. p. 695.

t) Histor. Lib. II. col. 395. (Bonifacius) lateri enses, capiti vero diadema torus imposuit. Deinde — — — vocem rigidam superbis oris hiatibus edidit verbis huiusmodi: Certum est — Sedem Augustam suo Duce vacare — (Albertus) apud Germanos imperet; Nos autem Lazias gentes potentiae nostrae deuotas nuzi nostro Regaliter gubernabimus.

u) TRITHEMIVS c. I. ad an. 1299.

x) IOH. DAN. OLENSCHLAGER Staatsgesch. c. II. pag. 4.

y) IO. VILLANI Histor. Lib. VIII. c. 42. cf. OLENSCHLAGER c. I. §. II. pag. 4. not. 5.

pum, cognomine Pulchri insignitum, regem Franciae, aduersus Albertum instigaturum, vt, huius cum illo foedere dissoluto, eo melius Pontifex sua proposita consequeretur <sup>2)</sup>). Eodem animo non multo post Bullam <sup>a)</sup>) tribus Electoribus Ecclesiasticis, Moguntino, Treuirensi et Colonienfi misit, qua tamquam successor Petri et Vicarius Christi, cui in coelo et terra omnis sit data potestas, Albertum, qui pro Romanorum rege se gerat, infra sex mensum spatium coram sede sua apparere iubet, vt crimen laesae maiestatis diluat, scelusque contra Adolphum regem non esse commissum, probet. Insuper et Principibus Electoribus, tam ecclesiasticis, quam secularibus, vniuersis et singulis iniunxit, vt ne quis ei tanquam Romanorum regi obediat, eosque fidei iurando obfirmatae, neque tamen praestitae, absoluit. Attamen eundem administratione Imperii per quinquennium iam functum, ao. MCCCIII. tandem Bulla <sup>b)</sup>) confirmauit.

## V.

*Clemens V.*

Post Henrici VII. Imperatoris obitum etiam CLEMENS V. vestigia improborum maiorum pressit. Is enim odio Bonifacii VIII. quocum capitales inimicitias habuerat, instigatus, deinde etiam impulsus fauore et gratia Philippi Pulchri, regis Francorum quo auctore in Apostolicam sedem, sub conditione, vt perpetuam sedem in Francia figeret, quo in regno etiam Auenione per septuaginta annos haesit, vti ipse nutu et voluntate Philippi per totam vitam regebatur, euectus erat <sup>c)</sup>), statim in muneris sui ingressu an. MCCCVI. in Constitutione decretali <sup>d)</sup>) regem et regnum Franciae e numero principum in Bulla Bonifacii

<sup>2)</sup> OLENSCHLAGER c. l. §. II. p. 570. et OLENSCHLAGER c. l. in pag. 4. *Urkund. Num. III. cf. etiam WALCH*

<sup>a)</sup> RAYNALDI *Annal. Eccles. Tom. XIV. p. 549. cf. et OLENSCHLAGER c. l. pag. 300.*

<sup>c)</sup> OLENSCHLAGER c. l. p. 15.

<sup>b)</sup> RAYNALD. c. l. *Tom. XIV. d) Cap. 2. de priuil. Extr. Comin.*



nificacii VIII. e) de dominio totius terrarum orbis supra laudata violatorum, exemptum atque segregatum esse voluit f). Deinde ad Gibellinos, quorum defensor Henricus nunc inter coelestes morabatur, opprimendos, ante omnia Robertum Siciliae regem, Caput Guelforum, quem Henricus tamquam rebellem, proditorem et hostem Imperii, ideoque reum laesae maiestatis omni dignitate, honoribus et terris priuauerat g), ab hac Henrici sententia, quae non a discretione matris virtutum, sed a nouerca iustitiae, voluntaria scilicet iudicantis praecipitatione processisset, ao. MCCCXIV, alia constitutione h), omnium illorum criminum absoluit. In eadem autem bulla Pontifex his verbis utitur: *Nos tam ex superioritate, quam ad Imperium non est dubium nos habere, quam ex potestate, in qua vacante Imperio Imperatori succedimus et nihilominus ex illius plenitudine potestatis, quam Christus nobis in persona beati Petri concessit, sententiam et processum omnes praeditos, et quicquid ex eis secutum est, vel occasione ipsorum declaramus fuisse ac esse omnino irritos et inanes, nullumque debere vel debuisse sortiri effectum seu nocumentum.* Ne autem in suspensionem cupidi et iustitiae aduersantis iudicis incurreret, et arrogantiam proderet, ita rem vberius explicare conatur: neque Henricum Imperatorem Regem Robertum extra districtum Imperii, in regno scilicet Siciliae notorie ac continue ibi morantem, ad sedem Imperialis suam citare, neque eundem ex causa, quae veritatis subsistentiam non habuerit, quippe Robertus Imperatori non eo modo subfuerit, ut illius maiestatem laedere potuisset, damnare, nedum dignitate sua, honoribus, iurisdictionibus et terris, quae sub eo nullatenus, nec ab eo, sed a se et sub se tenuerit, priuare potuisset.

Postea

e) Cap. I. de maiorib. et obed. Extr. Comm.

f) PÜETTER *Grundriss der Staatsveränd. d. Teusch. Reichs* p. 132.

g) ALBERT. MUSSATI *Hist. Augusta Lib. XIII. Rubr. V.* apud GORDAST *Constit. Imperial. Tom. I. pag.*

95. et OLENSCHLAGER c. I. *Urkund. Num. XIII. pag. 43.*

h) Cap. 2. de sent. et re iudic. Clem. cf. OLENSCHLAGER c. I. *Urkundenb. N. XIV.* et HAEBERLIN c. I. *Tom. III. pag. 95. sqq.* nec contulisse poenitebit WALCH c. I. *pag. 306.*

Postea et in alia constitutione <sup>l)</sup> iusiurandum, quod principes Regi Romano electo in actu coronationis antiquitus <sup>k)</sup> praestare solebant, cuiusque formulam in decreto *Tibi domino* <sup>l)</sup> comprehensam intenuimus, et cui praestando iam Henricus VII. tam magnanimus quam fortis resisterat, pro iureiurando fidelitatis haberi voluit, vi cuius Imperatores in posterum Vasalli Apostolicae Sedis fierent, terrasque suas ac prouincias ad ius et proprietatem ipsius Sanctae Ecclesiae plenissime pertinere recognoscerent, ideoque eos quoque Pontifici obedientiam in causis secularibus debere rationatus est. Neque hac nefanda arrogantia acquiescentem videmus Clementem Pontificem, sed mox Henrico VII. mortuo, noua constitutione <sup>m)</sup>, cum Romani vacantis Imperii regimen ad se pertinere iactasset, Robertum Siciliae regem, Senatorem Romanum creatum, *Vicarium Generalem* in partibus Imperio subiectis, a. MCCCXIV. constituit tandiu, quam rex Romanorum ab ipso vel successoribus adprobatus regnare coepisset, deinde enim Robertum ultra duos menses Vicarii officio fungi Pontifex non permisit.

## VI.

*Ioannes XXII.*

Iam vero ad eum peruenimus, qui bene animaduertente *OLENSCHLAGERO* <sup>n)</sup> Germanis vna cum Ludouico Bauaro imperium eripere, Italiam ab eodem segregare, se ipsum illius Vicarium Electoresque ad nouum Imperatorem eligendum cogere conatus est. Nomen huic fuit *IOANNIS XXII.* qui excelluit vir callidus, intrepidus, dominatus cupidissimus, cuius superbia omnem superat fidem, et verbo, homo ad rempublicam turbandam et tyrannidem exercendam natus. Vni Francogalorum

l) Cap. vn. de *Iureiur.* Clem.  
k) Iam *Otto Magnus* Pontifici *Ioanni XII.* anno 960. hoc iusiurandum praestitit, cf. etiam *WALCH* s. l. p. 201.

l) Can. 33. Dist. 63.

m) *RAYNALDI Annal. Eccl. T. XV. ad a. 1314. §. 3. et OLENSCHLAGER Urkund. N. XVI.*

n) in *der Neuen Erläuterung der Goldenen Bulle XXXVII.* pag. 133.

rum regi, cuius partes maximopere tuebatur, sui commodi causa inferuendum duxit o). At audiamus, qua ratione in Vicariatu sibi arrogando, teste historia, versatus sit. Initio quidem, cum triste bellum inter Ludouicum Bauariae, et Fridericum, Austriae Ducem, de Imperio, ad quod vterque a parte principum anno MCCCXIV. vocatus venerat, exortum esset, ipse pacis auctorem suaforemque mentiens, vtrumque exhortatus est, ne armis, sed potius amica conciliatione vteretur. Si qui itaque sperarant, se turbis Germaniam vastantibus nolle immisceri, hos expectatio misere fefellit. Missis enim ab vtroque legatis, amicitiae et confirmationis ipsius conciliandae gratia, iis, qui a Ludouico venerant, respondere negavit, Friderico autem non nisi quae in ipsum irridendum spectarent, nunciari iussit p). Neque diu post, quas animo tegebat, cogitationes aperuit, et praeter constitutiones praecessoris Clementis V. q) quibus tot stupenda de potestate Pontificum et inprimis de Imperatorum fide, Pontificibus debita, continebantur, quibusque omnes Christianos teneri cupiebat, Bulla r) dominationis Pontificiae amplificandae testem omni exceptione maiorem, ao. MCCCXVII. promulgavit. Qua quidem in constitutione Ioannes inde a tempore mortis Henrici VII. Imperatoris, sicut iam ipsius antecessor Bonifacius VIII. perhibuerat, Imperium adhuc vacare statuens s) in quo ad secularem iudicem recursus haberi nequeat, quod ex iure liquido, et ab olimita fuisse inconcusse seruatum dicit, ad Pontificem, cui in persona Petri terreni

D 2

simul

o) VICTORIS PARIS. *vita Ioannis XXII.* ap. BALVZIVM c. l. Tom. I. p. 113. sqq. coll. p. 687. sqq. in *Noris. et PROL. LVEENSIS Hist. Eccl. L. XXIV. c. 43. p. 1210. sqq.* cf. RAYNALD T. XV. ad an. 1316. n. 1. sqq.

p) WENCKER in *Apparatu Archiepiscopior. p. 199.* et *Chron. Leob. Lib. V. c. 3. ad an. 1317. p. 918.*

q) *Bulla Ioannis XXII. praefixa Clementinis in Corp. Iur. Can. cf.*

RAYNALD. T. XV. ad an. 1317. n. 15. p. 152. nec non FRANG. PIPINI *Chron. L. III. c. 49. p. 750.*

r) Cap. vn. *Ne Sede vac.* Extr. RAYNALDI *Annal. Eccl. T. XV. pag. 156.*

s) Etiam apud RAYNALDVM in *Annal. Ecclesiast. Tom. XV. et XVI. nec non apud MVRATORIUM in Annal. d' Italia Tom. VIII. semper verba: Vacante Imperio leguntur.*

simul et coelestis Imperii iura Deus ipse commiserit, Imperii summam iurisdictionem ac dispositionem deuoluit sanxit; atque ideo durante tempore ipsius vacationis Imperii omnia a se exerceri decreuit tamdiu, quam nondum determinatum esset, vter Imperatorum rite et valide esset electus. Vi huius Vicariatus sibi sunt non solum eos, qui Vicariorum, Procuratorum vel Officialium Imperii, aut eius Commissariorum, vel cuiusvis alterius officii nomen, quod Imperatore adhuc viuo ex ipsius manibus commissum gerebant, in certis terris et territoriis post eius decessum absque sua et Apostolicae sedis petita aut obtenta licentia sibi vbilibet retinuerint, ab iisdem prohibuit \*); verum etiam eos, qui sub talis denominationis pallio fortasse in posterum aliud quodlibet in eodem Imperio adsumserint, quod non gesserint, aut denique gestum antea, posthaec dimissum resumserint, temerariis ausibus praesumerint, inhiuit, eosque nisi infra duorum mensium spatium, a die promulgatae bullae numerandum, penitus respicerint, vel se licentia sedis Apostolicae super hoc ostenderint communitos, vna cum terris et locis ipsorum excommunicauit, contra eos *spiritualiter et temporaliter* grauius processurus, prout inobedientia eorum exigat, et facti suadeat qualitas. Egregium tandem arrogantiae suae testimonium ita concludit: *vt ea publica acta ad omnes peruadere possent, in Ecclesiae Auenionensis officis defigenda; atque in omnium oculis esse collocanda.* Ita Vicariatu Italiae stabilito, eundem sensim in Germaniam extendere conatus est, cum, vti Io. DAN. AB OLENSCHLAGER <sup>u)</sup> in libro, quo nihil praestantius hac in re habemus, egregie ostendit, et lites Ordinum Imperii priuatas ad forum suum trahere, supremaque iura omnia Imperatoriae dignitati reseruata pro arbitrio suo exercere coepisset. Hoc consilio litibus Taruiniensium cum Henrico Comite Goritiae, et cum Veronensi *Cane grande della Scala* <sup>x)</sup> auctoritatem Imperialem praetendens pacem fieri iubens, se immiscuit. Eodem modo Basileensem Episcopum, qui Nobilem de Neu-

\*) HAECKERLIN c. l. T. III p. 137. x) *Litterae Ioannis XXII. ap. RAY-*  
<sup>u)</sup> in *der Erläuter. Staatsgesch. NALD. ad an. 1319. §. 6.*  
*des Röm. Kayserthums* p. 102 sq.

Neuburg ob inimicitias erga Grandsonem armis adortus erat, a bello desistere coëgit <sup>y</sup>). In Brunfwicensi autem Duce a libitibus cum Monasterio Numburgensi quodam prohibendo eo temeritatis processit, vt subditos a fidei iureiurando se soluturum minaretur <sup>z</sup>). Neque minus imperiosum et dominantem se gestit in Episcopos Germaniae, recusans eos, nisi sub conditione, vt neutri certantium Imperatorum obedirent, lite in electione nondum decisa, confirmare <sup>2</sup>). Tandem teste, Io. DUBRAYO <sup>b</sup>), ratione regni Polonici iuri Imperatoris et Imperii Romani, quod tunc in illud competebat, multam intulit vim, Wladislao Loctico regia dignitate donato. Attamen eiusmodi conamina Iurium Imperatoriorum sibi tribuendorum impune ei cesserunt propterea, quod vterque electus, et Ludouicus et Fridericus Pontificem ipsam adhuc valde timebat.

Anno MCCCXX. Carolum Valesium, quem iam antecessor Bonifacius VIII. vti supra ostendimus <sup>c</sup>), Paciarium Etruriæ constituerat, vt proximus esset Vicario summo Roberto, Siciliae regi, cui hoc munus iam a Clemente V. mandatum erat, Subiucarium Imperii dixit <sup>d</sup>). Eidem vero Ioanni consilium fuisse, cum Italia vniuersum Imperium Romanum ad Francos transferendi, dictumque Carolum Valesium loco Ludouici in thronum Imperii euehendi, iam eius seculi scriptores ALBERTINUS MUSSATUS <sup>e</sup>), ALBERTUS ARGENTORATUS <sup>f</sup>), et ODOARDUS RAYNOLDUS <sup>g</sup>) testantur.

Friderico interea a competitore Imperii Ludouico in acie Mühlendorfsi ao. MCCCXXII. victo, cum hic de dubia electione per

y) RAYNALD, ad an. 1317. §. 14. pag. 152.

z) RAYNALD. ad an. 1318. §. 42. pag. 181.

a) apud Eund. ad an. 1320. §. 8. p. 198.

b) in *Hist. Bohem. Lib. XX.* pag. 168. cf. OLENSCHLAGER *Staatsgeschichte* p. 103.

c) *Cap. III. §. IV.*

d) RAYNALD. ad an. 1320. §. 10. sq. et PAVLVS ARMILIVS *Histor. Franc.* pag. 432. nec non BZOVIVS in *Annal. Fecl. col. 309. n. XXXII.*

e) in Ludouico Bauaro. cf. OLENSCHLAGER c. I. §. XLVI. p. 124.

f) in *Chron.* cf. OLENSCHLAGER c. I. §) in *Annal. Eccles. ad an. 1324. §. 25.*

per victoriam nunc decisa mox ipsum fecisset certiorum, idem ex testimonio *Od. RAYNALDI* <sup>h)</sup> neque hoc rerum discrimine motus est, neque victorem, ut mores maiorum posebant, Romanam ad coronam Imperialem obtinendam inuitavit, sed tantummodo se victoris et victi conciliatorem fore promisit. Non diu post Ioannis odio erga Ludouicum magis adaucto, illi nulla praecedente citatione et formali accusatione, et absque alia forma iuris <sup>i)</sup> tanquam in discordia electo, regimen Imperii, quod sibi in grauem Dei contemptum, manifestamque iniuriam erga Romanam ecclesiam, ad quam eiusdem vacationis tempore Imperii administratio, sicuti et in praesentia vacaret, ex iure et consuetudine pertinere dignosceretur, audacter praesumerit, die VIII. Octobris MCCCXXIII. curam Imperii infra trium mensium spatium interdixit, quamdiu ipse electio ac persona per sedem Apostolicam adprobari nondum contingerit. Rex vero Ludouicus cum, teste *TRIHTEMIO* <sup>k)</sup> conuocatis ad se multis Theologiae ac iuris vtriusque peritis, hunc Pontificis processum contra se fulminatam ipsorum proposuisset examini, comperire cupiens, metuendusne esset an contemnendus? hi totum istum processum in Ludouicum nullum et inualidum iudicarunt. Quamquam autem ipse iusta sua re, et hoc responso fretus, legatis antea, quibus officium caussarum sententiae in ipsum dictae explorandarum <sup>l)</sup>, et ut terminum nimis angustum in sex menses prorogandum curarent, mandatum erat, Auenionem missis, adhuc eodem anno coram Nicolao, Episcopo Ratisponensi, aliisque Principibus ecclesiasticis et secularibus Norimbergam conuocatis, scriptis protestatus esset <sup>m)</sup>, et, expositis iis, quae ad illum temerarium processum resellendum necessaria videbantur, ad Concilium Generale, cui et ipse Sacri Romani Imperii caput interesse velit, rite conuocandum appellasset

h) *ad an. 1322. §. 115. cf. OLENSCHLAGER c. l. §. XLIII. p. 115.*

i) *OLENSCHLAGER c. l. §. XLVII. pag. 124.*

k) *Chron. Hirsang. ad an. 1323.*

l) *HERWARDVS AB HOENBERG in Ludouico IV. Imper. defenso. pag. 232.*

m) *OLENSCHLAGER Staatsgesch. der Röm. Kayserthums in Urkund. N. XXXVII.*

lasset <sup>n)</sup>! Pontifex alterum tamen responsum forma causae et processum factum, sicuti primum, ut ad ipsius omniumque notitiam deueniret, in Auenionensis ecclesiae ostiis adpendi et adfigi iussit; ea, quae omnia HERWARTVS AB HOHENBERG. <sup>o)</sup> vberius enarrauit. Quo quidem decreto Pontifex Ludouico, duorum tantum mensium dilationem concessit, dictum autem processum, quin tolleret vel suspenderet, tantum abfuit, ut eum, quoad omnia capita, sententiaeque effectum, pleno suo vigore atque robore permanere iusserit <sup>p)</sup>.

Postquam dein Ioannes XXII. Carolum Franciae, Robertum Siciliae, et Ioannem Bohemiae reges, qui vltimus a prioribus ex societate Ludouici Bauari abalienatus erat, Auenione congregatos habebat <sup>q)</sup>, inter se de Ludouico prorsus opprimendo, et de coronam Imperii cum Francica coniungendo conuenerunt, quapropter ut pecuniae congerendae copia sit, rex Franciae Carolus sedi Apostolicae decimas ex omnibus regni sui bonis ecclesiasticis <sup>r)</sup> in triennium concessit, ac Pontifex itidem regi Bohemiae in terris suis eodem iure uti permisit <sup>s)</sup>. Quo quatuor Principum summorum conuentu effectum est, ut mox d. XXI. Mart. et d. XI. Iul. MCCCXXIV. Ioannes XXII. tertio et quarto processu accedentibus, omnibusque peruersis grauaminibus priorum in illo repetitis, atque praeterea in hoc omnibus Principibus, Ciuitatibus ac Vniuersitatibus, singulisque Germaniae incolis, ope terribilis Interdicti omni cultu Dei priuatis, Ludouicum tanquam contumacem excommunicaret <sup>t)</sup>. Quibus tamen Ludouicus, adiutus hac in re a Statibus Imperii Rensam conuocatis <sup>u)</sup>; qui omnes

n) OLENSCHLAGER c. l. §. XLVIII. p. 126. sq.

o) in Ludouico IV. Imperatore desensu pag. 248.

p) OLENSCHLAGER c. l. §. L. pag. 130.

q) ibid. p. 132.

r) VILLANI Lib. IX Cap. 247.

s) LUENIG Cod. Germ. dipl. T. I. pag. 987.

t) OLENSCHLAGER c. l. in Urkundenb. Num. XXXIX. e PP. MARTENE et DURAND. Thes. Anecd. T. II. col. 672.

u) OLENSCHLAGER c. l. Urkund. Num. XLIII. STEPH. BALVZIVS in Vit. Papar. Auenion T. II. n. LXXXV. nec non LUENIG in Conrin. I. Sprsil. Eccles. N. XIII.

omnes eius partes tueri vnanimi consensu promiserant, anno MCCCXXIII. Francofurthi ad aliud Concilium Generale prouocans occurrit. Imo quintus isque nouus processus \*) a Pontifice in Ludouicum ao. MCCCXXVII. compositus, quo ipse vna cum sectatoribus denuo condemnatus erat, non potuit impedire, quo minus Ludouicus Romam intraret †). Nam cum Ludouicus, Pisa occupata, in Italia vterius progrediretur, Romani, legatis Auenionem ad Pontificem missis, vt Romam rediret, sin minus, se recepturos Ludouicum, quo Roma et posthac dominium mundi haberet, ipsi significarunt. ‡). Non multo post laeti Ludouicum vrbe receperunt, vbi a Sciarra Colonna nomine et potestate populi Romani coronam accepit imperialem §). Quae quidem omnia Ioannes ao. MCCCXXVIII. in Constitutione ¶), additis excommunicationis formulis, irrita et vana habuit. Tandem et idem Pontifex eo processit audaciae, vt adeo Italiam ab Imperio et Germaniae regno seiuingeret †).

## VII. Bene-

x) OLENSCHLAGER c. I. *Urkund.* N. LIII. e PP. MARTENE et DUBOIS. *Thef. Anecd. T. II. col. 671.*

y) VILLANI *Cap. 32.* OLENSCHLAGER c. I. §. LXXVII. p. 187.

z) ALB. MVSSATUS c. I. col. 773.

g) OLENSCHLAGER c. I. §. LXXIX. p. 191. cf. etiam *Annali di LVD. MONALDESCHI ap. MURATORI. Tom. XII. S. R. I. p. 530.*

b) OLENSCHLAGER c. I. in *Urkund. N. LVII. e PP. MARTENE et*

DVRAND. *Thef. Anecd. T. II. col. 727.*

c) Reperiuntur in *Const. aliqua Iob. XXII.* Extransagante haec verba: *No; ad quem — pertinet praeceminentia potestatis euellere ac destruere, diuidere et vnire: — — Prouinciam Italiae ab eodem Imperio et Regno Alamanniae ronaliter eximentes, ipsam a subiectione communitatum et iurisdictionum eorundem Regni et Imperii separamus, diuidimus, ac per partes scindimus, cet. OLENSCHLAGER c. I. Urk. N. LXXI.*



## VII.

*Benedictus XII.*

Errant forte qui mirentur, etiam **BENEDICTI XII.** viri ab omnibus eius aevi scriptoribus <sup>d)</sup> celebrati, probi et honesti studio, iustitiaeque laude condecorati, qui ab omni avaritia non minus, quam a dominandi prauitate alienus, et verbo, re et nomine benedictus habetur, hic mentionem fieri; at minus mirabuntur, si didicerint, ea, quibus iura Imperii adortus sit, magis culpa Philippi Franciae regis, quam ipsius esse facta. Vix enim in cathedram Petri elatus, nuntios litterasque in Germaniam misit, vt Principibus se promptum paratumque exhiberet, qui Ludouicum excommunicationis onere liberaret <sup>e)</sup>. Nihilominus tamen postea inter duras leges a Pontifice ipsi dictas, fuerunt hae <sup>f)</sup>: vt ne vmquam inuito Pontifice in Italiam proficisceretur, neque copias eo mitteret, in primis vero vt Roberto, Siciliae regi, Vicariatum Italiae concederet. Imperator autem, vt abusum potestatis Pontificis a Franciae rege incitatum reprimeret, spectrumque superioritatis Pontificiae in Imperium arrogatae plane expelleret, conuentum procerum Imperii ao. MCCCXXXVIII. Francofurthi denuo habuit <sup>g)</sup>, vbi praecipue Electoribus iniunxit, vt dominatui Pontificum, ex quo Imperator nisi confirmatus ab ipsis munere fungi posset, occurrerent; qua de caussa mox Rensae conuenerunt <sup>h)</sup>, multisque  
ibi

d) PROLOM. LVGENSIS *Hist. Ecclesiast. Lib. XXIV. c. 43. p. 1214.* et GUALVAN. *ELAMMA de Gest. Azonis* p. 1009. atque *Vitae Papar. Aven. T. I. p. 197. 213. sq. 219. 225. sq. cf. et RAYNALDVS Tom. XVI. ad an. 1334. n. 1-4. nec non Secunda Vita Benedicti XII. ap. BALVZ. col. 214.*

e) RAYNALDVS *Annal. Eccl. Tom. XVI. ad an. 1335. n. 1. et 2. et Murzius* p. 232. cf. OLENSCHLAGER *c. l. §. CX. P. 256.*

f) NIC. BVRGVNDVS p. 144. cf. OLENSCHLAGER *c. l. p. 257.*

g) *Inuitario Imperatoris Ludouici ad Comitia Frankf. hab. Capitulo Leodiensi ao. 1338. missa ex HOESEMII Gestis Pontificum Leodiensium* p. 443. hausta. cf. etiam OLENSCHLAGER *c. l. Urkund. Num. LXXIV.*

h) VITODVRANVS *col. 1844.* et OLENSCHLAGER *c. l. §. CXXIII. pag. 281.*

ibi captis consiliis, illud pactum, quod vulgo *primam Unionem Electoralem* vocant, sanxerunt <sup>l)</sup>; quod quidem ipsorum conclusum Imperator d. VIII. Aug. ei. ai. in Constitutione Imperiali <sup>k)</sup> confirmavit. Nihilominus Romanus episcopus Vicarium Imperii se gerere nondum quieuit, sed et postea eundem nomine et vi illius Vicariatus, certe ab Italiae principibus, quotannis pecuniae non leues summas exigere continuasse, firmis testimoniis <sup>l)</sup> constat. Eduardum deinde, Angliae regem a Ludouico Imperatore Vicarium totius Imperii constitutum, Benedictus XII. Pontifex excummunicatione terruit, ei fulminibus suis instans; si eo, quod ab haeretico principe, imperium sibi inuita sede Apostolica arrogante, acceperat, munere fungi perexisset <sup>m)</sup>. Nec minus ecclesiae Leodensi ao. eodem MCCCXXXVIII. litteras misit dehortatorias <sup>n)</sup>, ne quis Ludouico, discorditer regi Romano electo, aut Eduardo, Angliae regi, tamquam Vicario ipsius pareret, nec ei obedire intenderet; administratione adhuc in manibus Pontificis versante. Haec autem omnia culpa Franciae regis, quo infligante Pontifex adeo a Ludouico poposcit, vt coram ipso Auenione se siteret, ipsique Imperium traderet, facta sunt. Vnde etiam nouae Imperio turbae sunt enatae, quarum sedandarum gratia Imperii Status ao. MCCCXXXIX. Francofurthum iterum conuocati <sup>o)</sup>; constitutiones anni praeteriti ab ipsis recognitas confirmarunt <sup>p)</sup>. Ibi et ex consuetudine minime dubia, vi perpetuae legis

i) OLENSCHLAGER c. I. in *Urkundenb. Num. LXVII.* ex *GEWOLDI Defensione Ludouici Imp.* p. 146.

k) OLENSCHLAGER c. I. *Urkundenb. Num. LXXVIII.* cf. etiam IO. LATOMVS in *Chron. Francofurtiensis* ap. *FEHREVM in Hist. Rer. Germ. T. I.* p. 660.

l) MATTH. VILLANI *Histor. Lib. III. c. 4.* cf. IO. DAN. VON OLENSCHLAGER *Neue Erläut. der Guld. Bulle*, §. XLI. pag. 143. not. (2)

m) KYMER *Acor. Public. Anglic.*

Tom. V. col. 89. cf. OLENSCHLAGER *Staatsgesch. des Röm. Kayserth.* § CXXVIII. p. 296.

n) OLENSCHLAGER c. I. in *Urkundenb. Num. LXXXVI.* ex *HOCSEMI Gestis Pontif. Leodiens.* p. 449.

o) GOLDAST *Consir. Imperial. T. III.* cf. etiam LERSNERI *Chron. Tom. I.* p. 323. et KRANZIUS *Saxonia L. IX. c. 15.* nec non OLENSCHLAGER *Staatsgesch.* p. 297. sq.

p) Ludouici IV. Imp. *Constitutio de Imperii iuribus et excellentia*, et

legis, sancitum est, vt Comiti Palatino ad Rhenum et Saxoniae Duci administratio Imperii vna cum collatione feudorum illi apertorum, rerumque quae Imperium contingerent constitutione, iure meritoque competere <sup>g)</sup>.

XXI. *vicaria*

Imo Benedictum XII. Vicariatum Imperii, quod adhuc vacare dictitabat, multis aliis Italiae proceribus confirmasse, traditum exstat. Effecit idem, vt Guilielmus Gonzaga, Mastinus, Scala, Vbertinus, Carraria, Obicio Estensis in his vrbibus, quas circa id tempus tenebant, vicaria fungi vice dicerentur <sup>e)</sup>. Petierintne principes ipsi illud a Pontifice, an ille ad Apostolicae sedis auctoritatem in terra Italiae reparandam, id decretum sua sponte tulerit, parum hodie constat, etsi Pontifex ita rem interpretatus videri potest, omnia Italiae iura, quia Imperator nullus esset, vt ipse decreto pronunciauit, ad Pontificem, Christi summi regis vicarium deuoluı oportuisse: qua re suo iure vsus alias aliis vrbes administrandas tradidit <sup>e)</sup>. Pace Lombardiae a Venetis data, pontifex prudenti, vt tum adparuit, consilio, sed pessimo in posterum euentu, tyrannos e Lombardis primores in principes legitimos transfiguratos confirmauit. Quare Luchino Vicecomiti, et Ioanni, eius germano fratri, quem Mediol. Archiep. instituit, vicariatumque Mediolani auctoritate Apostolica eidem attribuit effecitque, vt, quidquid vrbium oppidorumque tunc possiderent, eiusdem Vicariatus titulo legitime obtinerent. Pari ratione Mastinus Scaliger Veronae, Parmae et Vincentiae <sup>e)</sup>, Guil. Gonzaga Mantuae et Rhegii, Albertinus Carraria Paduae, Opizo Estensis

E 2          Ferrar

potestate Elecri Romanorum Regis  
lata in Concilio Francofurtensibus  
ao. 1339. apud GOLDAST c. l. p. 411.

g) LERSNERI Chron. Tom. I. p.  
324. et OLENSCHLAGER c. l. §.  
CXXIX, pag. 299.

e) IAC. PHIL. BERGOMENSIS  
Chron. Lib. XIII. fol. 337. et SA.

BELLICVS Hist. rer. Vener. Lib. IV.  
pag. 607.

g) BLONDVS Histor. Decad. II.  
Lib. X. p. 363. cf. IO. DAV. KOE-  
LLEI Schediasma Historicum de Nu-  
mismate Iacobi Grandis de Carraria  
Domini I. Patavii. (Aldorsii 1717. 4.)  
pag. 30.

e) RAYNALD. ad an. 1339. n. 61-69.

Ferrariae, Mutinae et Argentae vicariatu Apostolica auctoritate potiti sunt <sup>u)</sup>).

## VIII.

## Clemens. VI.

Quo maius odium CLEMENTIS VI. ab antecessoris moribus multum distans, at honoris et potentiae cupidi in Ludouicum Bauarum pluries dictum flagrauit <sup>x)</sup>, eo maius ipsius eminuit studium et fauor rerum Francicarum, ideoque ao. MCCXXXIII. noua in hunc Imperatorem fulmina vibrauit; quae quidem excommunicationis bulla <sup>y)</sup> omnibus Germaniae episcopis, et superioris et inferioris ordinis, missa est, vt, illa singulis diebus Dominicis feriisque praelecta, pateret omnibus gentibus, Ludouicum excommunicatum omnia iura honoresque perdidisse. Ipsum vero Pontifex monuit, vt infra trium mensum spatium, quod ei pro termino peremptorio adsignauit, ab omni administratione Regni et Imperii Romani prorsus desistat, nomen et titulum Regis seu Imperatoris, ducis et cuiuscunque dignitatis deponat, nomen seu titulum huiusmodi nullatenus absque sedis Apostolicae licentia ulterius resumiturus, omni fauore quoruncunque haereticorum abstineat <sup>z)</sup>. Praeterea et Electores litteris secretis hortatus est, vt ad nouum Regem Romanum eligendum, cui negotio si breui locum tempusque sit dicturus, se accingerent; sin minus alacres sint obedituri, se ipsum Imperio nouum caput constituturum esse minatus est <sup>a)</sup>. Viribus postea Ludouici per foedera cum Anglia <sup>b)</sup>, Polonia, Hun-

b) IO. DAN. OLENSCHLAGER  
c. l. §. CXXX. p. 302. cf. IO. DAV.  
KORLER c. l. p. 30.

x) ALBERT. ARGRNT. p. m. 132.  
et IO. VITODVRANVS ad an. 1342.  
p. 58. b. cf. MYRATORII *Geschichte*  
*von Italien*, P. VIII. p. 476. sq.

y) OLENSCHLAGER c. l. in *Ur-*  
*kund. N. LXXXIV.* ex RAYNALDI  
*Ann. Eccles. T. XVI. p. 187.*

z) OLENSCHLAGER c. l. §.  
CXLII. p. 326.

a) RAYNALDVS ad an. 1343  
num. 59.

b) Dat. apud TENHAM. XXIII.  
die m. Februar. apud RYMER Act.  
Angl. Tom. V. p. 445. nec non Dat.  
ap. Westmonaster. XIII. die m. Maii  
ap. RYMER c. l. p. 451.

Hungaria, Austria, Misnia, Brandenburgia et Schwidnicensi ducatu, aliarumque terrarum principibus <sup>c)</sup> insignem in modum auctis, Pontifex eo cupidius de imperatore penitus opprimendo cogitavit, quem quidem in finem ao. MCCCXXXVI. <sup>d)</sup> Ludovicum, quia Romanum Imperium propter tyrannidem, iniquitates et impedimenta Ludouici iam per longa tempora dignoscatur vacasse, prout et vacet ad praesens; et ob hoc sancta Romana Ecclesia per tempora suo caruerit; prout adhuc careat, excommunicauit, omnesque et singulos principes ecclesiasticos et seculares, ad quos Regem Imperatorem postmodum stabilendum ius pertineat eligendi, Apostolica auctoritate monuit <sup>e)</sup>, iisdem seuerius iniungens, quatenus sine morae dispendio pro electione Regis in Imperatorem postmodum promouendi de persona idonea facienda conueniant, et ad electionem ipsam procedere non postponant; alioquin sedem ipsam, a qua ius et potestas electionis ad principes eisdem peruenient super hoc de opportuno remedio prouisurum <sup>f)</sup>. Non multo post eodem anno Carolus Morauiae Marchio, quique nomine Caroli IV. Imperatoris inclaruit, Romanorum rex factus, Auenione confirmatus est.

## VIII.

## Innocentius VI.

Neque vero eo tempore, cum Carolus IV. Imperator Aurea in Bulla <sup>g)</sup>, vt ne in posterum electio Regum Romanorum vnquam dubia occurreret, temeritatique Paparum, illorum confirmatorum, et Vicariatus, vacante Imperio, administrandi locus daretur, Romanum Regem plurimis Electorum votis electum, verum

c) OLENSCHLAGER c. I. §. CLII. pag. 344.

d) OLENSCHLAGER c. I. in Urkundenb. N. LXXXIX. e) RAYNALDI Annal. Eccles. Tom. XVI. p. 228.

e) HAEBERLIN c. I. Tom. III. P. 402.

f) Exstant peculiare quoque litterae adhortatoriae, quas Clemens VI. Auenione ao. 1346. Electoribus regis Romani eligendi causa misit, apud RAYNALDVM in Annal. Eccles. T. XVI. p. 230. et in OLENSCHLAGER Urkundenb. Num. XC. g) Tit. V. §. I.

verum et vnum pronunciaffet, Vicariatum autem, Sacro Imperio capite destituto, Comiti Palatino Rheno, et Saxoniae Duci antiquitus competentem confirmasset, Aula Romana Imperium turbare cessauit. Pontifex enim INNOCENTIUS VI. in A. B. constitutione arrogantiae suae vincula adiecta fuisse non ignorans, aegerime illam tulit, eandemque, loco, quem Sedi Apostolicae aduersantem dictitabat, non mutato, radicitus deletam voluit h). Imperatore contra Carolo IV. postulante, vt Imperio iniuriosae, ac Henricum VII. Imperatorem violantes, Corpori Iuris Pontificii insertae Constitutiones Clementis V. et Ioannis XXII. Pontificum omnino abrogarentur i), Innocentius se faciliorem praebuit, coeperuntque vtrinque rem abluioni tradere k), ita, vt recentioribus temporibus nulla huius efflagitationis Pontificum ratio sit facta, atque administratio Imperii, Imperatore nullo, non turbata ad dictos Palatinatus Saxoniaeque Electores transierit, iisque integer manserit Imperii Vicariatus.

h) BYXTORFFIUS ad XVII. priora Aur. Caroli IV. Bullae capita. (Basfl. 1613. 4.) §. LV. nor. a. et c. recensuit magnum Canonistarum numerum, qui iram Innocentii VI. aduersus A, B. sanctionem testantur.

cf. etiam OLENSCHLAGER *Erläuter. der Güld. Bulle* §. CIV. p. 403.

i) OLENSCHLAGER c. l. p. 404.

k) IACOB. MOGVNTINVS apud NAVCLERYM *Generar.* p. 403. cf. OLENSCHLAGER c. l. p. 404.

ERRATA.

Pag. 7. lin. 8. *Episcopo, iurisiurandi lege*: Episcopo, misit iurisiurandi —

— 8. — 3. *atque litteris* l. vbi litteris —

— 8. — 7. *hosque* l. fed et hos —

— 8. — 13. *absolutae* l. absolutas —

— 14. — 2. *factum est*, l. dictum est, —

— 16. — 6. *mutata* l. mutatus —

ERRATA

Pag. 7. lin. 3. Postquam innotuit leges: Episcopo innotuit  
inveni

- 3. — 2. Postquam innotuit leges: Episcopo innotuit —
- 3. — 7. Postquam innotuit leges: Episcopo innotuit —
- 8. — 13. Postquam innotuit leges: Episcopo innotuit —
- 14. — 21. Postquam innotuit leges: Episcopo innotuit —
- 18. — 6. Postquam innotuit leges: Episcopo innotuit —





Leipzig, Diss., 1732

ULB Halle

005 358 981


3



VON







B.I.G.

Farbkarte #13

1792, 9.

17

A V S V S  
FICVM ROMANORVM

VM S. R. IMPERII SIBI ARROGANDI  
ERCITATIO IVRIS PVBLICI,

QVAM  
RIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRO  
N VTROQVE IVRE HONORIBVS  
CAPESSENDIS

IX. FEBRVARII A CIOIOCCXCII.  
H. L. Q. C.  
DEFENDET

S CHRISTIANVS KNOETZSCHKER  
FRIBERGENSIS  
IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREVS.

LIPSIAE.  
OFFICINA SOMMERIA.

